

Alte Drucke

**MATTHÆI || GALENI, S. T. || DOCTORIS, ET || APVD
DVACENSES || CANCELLARII, || COMMENTARIVS || In D.
PAVLI ad Hebræos || Epistolam. || Vnà cum eiusdem ...**

Galen, Matthaeus van

Lovanii, 1599

CAPVT SEPTIMVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150590

cie iactemur. Si allegoriam detraxeris; hac erit sententia: Si spem conceptam mordicus retineamus: illa nos perducet ad regnum cœlorum.

Quandôquidem eò præcessit pro nobis, &c. Quia enim iniectis veluti uncis suis Christum apprehendit anchora: necesse est eodem, quo ille præcessit, nos subuehi. Nec ille simpliciter eo præcesserit: sed pro nobis, preparans iter, salebrasq; complanans, quia eius freti, & adiuti merito subsequimur. Græci, et Latini præcursores vocant, ut nos ponē sequentes preparatas offendamus mansiones.

CAPVT SEPTIMVM.



IOTIVS epistolæ membrum tertium deinceps prosequetur Apostolus & Christi sacerdotium cum sacerdotio veteris legis conferet: idq; tam accurate, ut etiam a nominibus argumenta deducat, nec loci, nec adeo eius, quod in scripturis omissum est, mysteria negligat. Et quia heretici mirum in modum insensu nostro sacrificio; cuius nos typum dicimus fuisse Melchisedecianum, quod hic ex genesi Paulus repetit: tam effrenate torrentes hic effundunt conuitorum, & blasphemiarum, ut ne ipsis quidem insontibus Deiparant creaturis, quæ in prima creatione Deo benedicente laudate sunt.

Præscribitur autem in syro Paulo titulus, unde totius ferè capitis verum scopum licet conicere.

Generatione Dei.

R 3

Syr.

I^s Syr.

Vulg.

Iste autē Melchisedec fuit rex Scholim, sacerdos Dei excelsi, & ipse occurrit Abrahamo reuertenti à cæde regum, & benedixit ei, & diuifit ei Abraham decimas omnium, quæ penes ipsum essent. Interpretatur autem nomen eius, Rex iustitiæ, & rursus, Rex Schalim, id est, Rex pacis; cuius neque pater, neque mater scribuntur in genealogiis, neque principium dierum eius, neque finis vitæ eius: Sed in similitudine filij Dei manet sacerdotium eius.

Iste. Est demonstrantis, & quidem eam personam, de qua capite quinto multa se habere dixerat. Nunc itaq; postquam auditorem utcumque præparauit, institutum ag greditur.

Fuit.

Fuit. *יְתֻבִּי*. erat re vera.

Rex Schalim. Non satis convenit sitne hæc eadem, quæ Ierusalem. Quidam aiunt, quidam negāt, ut ad Euagriū Hieronymus, cui magis accedo. Nam Scholim fuit, ut narrat Moses, vicina Sodomis; & periculum quatuor illatum regibus hic videtur sibi metuisse: undè apparet fuisse Chananeum.

Sacerdos Dei excelsi. Hoc ex Mose constat. Sed qualis sacerdos? Anacletus dicit non fuisse propriè sacerdotem; sed ἀποκατὰ, qui instinctu numinis ad hoc muneris est ascitus, nihil habens cum Iudaicis sacrificiis commune. Et hoc typo conveniebat, ut novum, ac singulare faceret sacrificium. Istud epithetum distinguit Deum ab idolis gentium, quæ in imo sunt, ac profundo depressa.

Reuertenti à cæde regum. charbo desolationem, deus stationemq; vertere licuisset: nisi in latini interpretis voce eadem comprehenderentur. Possemus ad alia progredi; si maneret eadem, quæ ante annos mille toti Europæ, & Asiæ fuit receptissima fides, verum esse in Ecclesia sacrificium, & sacerdotium, cuius typum gessit Melchisedec; eumq; non solum commeatu fatigatum exercitum Abrahami recreasse, panemq; & vinum tulisse obuiam; sed verum Deo suo peregisse sacrificium: at hic altum vociferantes heretici cogunt nonnihil subsistere. In primis autem petulanter exultat Theodorus Beza nobis (si Christo placet) homo prudentissimus triplicem impingens impudentiam, toties, videlicet, sui pudoris fidem facturus. Primiū quòd sit scripturis ignotum sacrificium Melchisedec: deinde quòd hæc ipsam scriptura partem adiscamus in catholici sa-

R 4

crisi-

יְתֻבִּי

אֲבִירָא

Plura habes in catechesibus.

Epistola

erificij defensionem, quam in Mose, & psal. 109. & hic in Paulo Spiritus sanctus editam voluerit ad explodendas reliquas omnes oblationes, & sacrificia, prater illud unicum in cruce peractum a Christo, postremò quòd contendamus (sic enim interpretatur catholicorum patrum sententiam) non ipsum Melchisedec, sed panem, & vinum fuisse typum Christi, quem diebus singulis adigamus ad crucem. Hac ille scelestus, pro heretica modestia, vel potius demoniaca superbia. Nunc circumferamus oculos, nū usquam alibi, prater istum occursum, non innuatur sacrificatum ab isto Melchisedec: ac tū licebit statuere, quo merito nostro vocemur in invidiam. Invenis igitur in nostra translatione dicitur Melchisedec protulisse, in hebraeo autem est hoti, quod efferre, vel proferre significat, septuaginta $\pi\epsilon\sigma\sigma\epsilon\tau\epsilon\gamma\chi\epsilon\iota\upsilon$ habent, pro quo reponunt pleriq; veteres $\pi\epsilon\sigma\sigma\epsilon\tau\epsilon\alpha\iota\upsilon$; ut penè mihi sit persuasum sic habuisse Septuaginta. Adversarij Hieronymum proferunt. Audiamus. Is cum alibi sapius, tñ Matthæi 22. ostendit se intellexisse, Protulit, eo, quo volumus modo, nempe, Melchisedec non obtulisse oves, & boves, sed panem, & vinum, & figurasse mysteriū Christi, & sacrificium nostrum. An non ista vel cecus videat esse eius, qui veram sacrificij rationem se hic fateatur agnoscere? Est alius locus in hebraicis quæstionibus, & Matt. 26. nè dicam idē verbum hoti ubi sacerdotes Aaronici victimas ad immolationem, & hyrcum educere dicuntur, occurrere, ut facile sacrificalem hanc prolationem nos probaturos, ut alibi fecimus, cōsidamus. Ad eum igitur modum Melchisedec suam Scholim egressus, protulit secum ea, quibus erat rem divinam facturus;

ἔτι

Epipha. in
hæres. 50.
Euf. demō.
Euang. li. 5
cap. 3.
Theodor.
eclog. q. 63
In epist. ad
Euagriū
& ad mar.
cellam tā
etsi inscrip-
tā nomi-
nibus Pau-
læ, & Eu-
stochij.
Ibi Hiero-
nym. (pro-
tulit) offe-
rendi verbo
mutavit.

facturus; & tūc excepit epulo reducem Abrahamum. Ecclesiam autem huius vocis vsum istum recepiſſe conſtat ex prece diei Epiphaniorū, quam ſecretam vocant, ubi inter alia myſtes dicit ſe nō proferre aurum, & argentum; ſed quod iſs fuerat figuratum. Cū igitur (vt omittam Tertullianum, & Cyprianum lib. 2. epiſt. 3. hebraiſmus ita ſe habeat; & Eccleſia receperit: non eſt, quod de vocabulo nobis litem fruſtra moueant argutuli. Neque probabilius aiunt iſtud à patribus excogitatum. Et ſiquidem Rabbīnorum teſtimonijs res conſcī queat; Galatinus multos adducit: ſed vereor nē illorum teſtimonijs ſe grauari nolint. Certē Philonem, quem antiquitas chriſtianum vocat, reiſcere non audebunt in elegantiffimo libello de conuētū ad capeſſendas diſciplinās. Is igitur factum illud Abrahami adſerit ſtudioſis omnibus proſectus, & eruditionis exemplum ſupeditare; prolixeq; ad imitandum hortatus, inter alia narrat Melchiſedeco id moris fuiſſe, victores prius ad ſacrificium, quo agerētur gratie Deo; ac deinceps ad viſcerationem, & epulum inuitare: quod etiam vbiq; gentium obſeruatū hitorijs notum eſt. Hæc cū apud illum ſcriptorem legerint: ecqua maledicendi, & mentiendi libido eſt, vt dicant patres hoc loco ſacrificium excogitaſſe, nec ibi quicquam præter occurſum, intelligendum; cū apertiffima Philonis narratione rei diuine epulæ ſucceſſiſſe proditum ſit? Sed Paulus hoc ipſum fortius probabit. Nam cū dicitur Melchiſedec benedixiſſe Abrahamo, aduerſarij attoniti fatentur non eſſe vulgare, ſed ſolenne, ac religioſum omen, quo Deo gratus ſacerdos hominib; bene conſuleret; nec deſuiſſe quiddam ſacerdo-

Tertull. li. aduerſus Iudæos. Legit Cypria. ex Ieremia: Ego ſicut agnus ſine malitia, productus ſum ad victimā li. 2. Epi. 3.

Epistola

Trident.
sess. 22. c. 1.

Lib. 5. epi.
33.

*tale. Dum igitur dicit Apostolus Melchisedec oc-
 currisse Abrahamo, utitur in signi synecdoche, priori
 loco referens, quod postea secutum est: Moses autē
 dum dicit eum sterisse, & benedixisse, vehementius
 refutat hostes. Non dicent, credo, Philonem Petro,
 cardini religionis & spiritus hypophetæ, adulari vo-
 luisse, qui uti suxerat ex D. Marci discipulis, ita dis-
 seruit, ut si fieri queat, garrulis imponat silentium.
 Ut tamen eius suffragio aliquid accedat pōderis; ex-
 pendatur Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 18. & lib. 2.
 ca. 7. belli Jud. & habear vanus, si non hæc ipsa cō-
 firmet, nempe, Melchisedec non tantum commentu
 subuenisse Abrahamo, tanquā veri Dei cultori;
 sed antē Deum quoque ipsum ob datam victoriam
 concelebrasse. Frustrā igitur patribus conflatur in-
 iudicia: cum his duobus antiquissimis, Iosepho (inquā)
 atque Philone testibus sit certa fides, edoctis a disci-
 pulis Apostolorum, quibus partim contra alios here-
 ricos, partim cōtra Melchisedecianos fuit negotium,
 uti testantur D. Epiphanius in heres. & Hierony-
 mus ad Euagriū. Pars altera besana reprehensio-
 nis est, missam ignotā veterum, neotericis esse cō-
 fictā: cui si respondere nunc esset animus, per mitte-
 rem utrum vellet, de re, an de nomine agere. De no-
 mine, inquit: legat igitur Iulium Africanum in vita
 Matthæi, & videat an ne missa significet sacrificiū,
 quod etiam nunc vocamus. Sed authorem dubium
 causabitur. Romanos pontif. obijci sibi non patietur,
 Clementem, Felicem, & alios fortissimos, sanctissim-
 osq; martyres. Ambrosium, credo, non spernabi-
 tur, planē diuinum scriptorem. Igitur narrat ille ni-
 bil se moratum hæreticos, in missa celebratione per-
 rexisse*

rexisse: quòd oblatione facta speraret se impetraturum, ne Ariani tantum nocerent, quantum vel-
lent. Seuerus Sulpitius à suo praeceptore D. Marti-
no refert peracta missarum solennia, quæ mox agèda
vocat, & in medio dominicum appellat sacrificium,
ne quis detorqueat ad oblationes à populo factas.

In vita li. 2.

Cùm itaque scriptores antiqui nominis meminerint:
quid est, quòd accuses infantiam? Quòd Illyricus in
Anglia negat cognitū istud vocabulum ante Vita-
liani tempora, vanissimum esse docuerunt pridem
nostra catecheses ex Beda, quibus appēdicis loco ap-
pendam Hilduinum referre Dionysium in carcere
dominica solennia celebrasse, ut non deesset in mortis
prasenti discrimine viaticum, & amuletum. Sed
fortassis appellationem se nequaquam morari dictu-
ri sunt, deq; ipsa re litem mouebunt. At si quid men-
tis haberent sane, parcius suam traducerent imperi-
tiam. Nunc enim perinde agūt ac si missam Clemē-
tis, & fragmentum Procleane, Iacobi, eiusq; succe-
ssoris Cyrilli, Basilij, & Chrysostomi nunquam audi-
issent, ut omittam doctissimum Germani commen-
tarium, & D. Ambrosij formulam propediem cum
multis alijs prodituram. Cui enim hæc non sunt igno-
ra, posset missa non esse cognita, aut nuper confectum
videri sacrificium nostrum? Aliàs testium classes in
istud iudicium profluximus. Versatur in manibus
Tertulliani in missam commentarius, tàmetsi de o-
ratione inscriptus, vixq; reperitur ullus scriptor, qui
rei diuinæ non meminerit: & isti quasi in alio enati
mundo, postulant eius rei testes, quæ omnium penè
suffragys est testatissima? Verùm, inquit, sires ita
habet: Melchisedec non Christi sacrificij, sed panis,
& vini

Libris An-
glic. Hist.In Arcopa-
giticis.

Epistola

Strom. 4.
Hæresi. 55.
In eclog.
quæst. 63.

& vini vestri typum gesserit. Miror, quid huic in-
mentem venerit, ut ita colligat. Maiores nostri Cle-
mēs Alexandri, Epiphanius, Hieronymus, Theodo-
retus, Damascenus, adserunt Christi figuram fuisse
Melchisedec; cuiusq; mensam, & oblationē typum,
& imaginem sacrificij, & victime christiane; adeo
ut Hieronymus ausus sit ita loqui: Melchisedec
fuit typus corporis, & sanguinis Domini. Sed surdis
dudum ista canimus; & quibus omnino persuasum
est, summam esse impietatem panem, & vinum of-
ferre; quamvis ipsimet negare nō audeant, eadem in
oblatione Melchisedeciana fuisse. Fatebor equidem,
si de ritu Calviniano, & Besano loquantur: sed He-
ronymus nunc explicavit sub horum figura, quid of-
feramus: quæ non offeruntur, ut talia maneant; sed
in momento sacrificij transmutantur; ac tūc demum
vera est oblatio. Reliqua est vna calumnia. Qua
fronte audetis, inquit, hanc scripturam ad vestrum
detorquere sacrificium: cum Apostolus per eam pro-
bet nullum post crucem sacrificium esse reliquum?
Quasi verò si dixerò Nilum in mare septem ostijs
suas undas evolvere: quisquam non eundem esse flu-
vium sit adserturus. Dicimus & nos sacrificium no-
strum virtutem crucis Christi, & ibidem peracti ab
illo sacrificij ad nos derivare; nec aliam, aut aliunde,
quàm eam ipsam virtutem habere. Quòd si autem
hostia crucis omnia perfecit, ut nihil addi queat: de-
sine tu quoque, Calvine, tuam cenulam, aut ientacu-
lum predicare, neque deinceps doceto baptismū esse
necessarium sacramentū. Quod si tibi istud agendum
non putas, fatere nobiscum sacramenta omnia, &
proinde nostrum etiā sacrificium, esse labra, quibus
in nos

in nos deducitur energia sanguinis Christi. Sed pergit. Si omnino super sit aliquod sacrificium: ergo errat in Paulo Spiritus sanctus. Ipse mihi Calvinus hoc loco telum suggerat. Nam ubi Melchisedeci scriptura patrem reticent, dicit mysterium denotari silentio. Quod si verissimum est: quin idē tibi persuadet mysterium hic fieri iussu à spiritu silentium: præsertim cum alibi Paulus non dissimularit ob rei dignitatem factum? Sed reuertamur ad institutum, unde procul excidit oratio. Credo igitur iam confessum esse, istum occursum habere synecdochen, & positum pro toto negotio religionis, quod nomine designatur sacrificij.

Et benedixit ei. Hac est pars sacrificij. Et in Ambrosij, deniq; Martini missa apparet quandam fuisse populi benedictionem, ut Paulus principium, ac finem posuerit rei gestæ, media reticuerit. Benedixit igitur non simpliciter, aut quemadmodum, qui promeritum celebraret, sed ut sacerdos plebi. Nam ut docet Epiphanius, unā benedictionem Abrahami socijs impensam intelligimus.

Hæres. 55.

Et diuisit ei Abraham decimas omnium, quæ penes ipsum essent. D. Hieronymus dicit ad Euagrium esse dubium ex scriptura tam græcæ, quàm hæbreæ, an Abrahamus obtulerit, an contra suscepit à Melchisedec, an uterque vicissim & dederit, & acceperit, ut alter ex relictis hostium manubris, alter de ijs, quæ possidebat, sibi inuicem decimas obtulerint. Et hoc videtur Iudæorum commento factum, qui egrè ferebāt Abrahamum quodammodo depressum videri: sed Paulus Syrus omnem excludit ambiguitatē, & Hieronymus ibidem apertissimè

Epistola

simè dicit religiosum victorem, spoliis quicquid fuerat optimum, Deo obtulisse in sacerdote eius. Nā illud extra omnem controuersiam reor, decimas non exactè partem decimam, sed præstantissimum quodque, & optimum designare.

Interpretatur autem nomen eius Rex iustitiae. *Malco decinutho.* Hinc, & ex sequentibus liquet satis friuolas esse illorum obiectiones, qui dicunt Paulū non potuisse interpretari, quæ habet Moses. Primum quidam contēdunt pro virtutis merito nomen impositū viro, uti Magnos Pompeos, Antונים Oratores, Asiaticos, &c. audimus. Cū igitur hic rex esset iusti tenax, ita nuncupatus est. Patres autem sic dictum aiunt, propter antitypū Christum regem, ac fontem omnis iustitiæ. Non fuit tantum vir iustus, & rex: sed fuit quasi instrumentum Dei, cuius cū exemplo, tum doctrinā alij tales enaderent, ut iustus, & causa fuerit, saltem per occasionem, aliena iustitia. Christus autem vocatur rex iustitiæ, siue iustus (idem enim sunt hebræa phrasi) nō solum quia ipse iustus, sed quia factus est nobis iustitia: non quasi manentium in impietate vitia contegat, sed quia re vera participes efficiamur eius iustitiæ. Neque iterum quasi Dei iustitia, id est, essentia sit in nobis (ut somniauit Hosander) & ipsi infusam, & inherentem iustitiam non habeamus: sed ita factus est nobis iustitia; ut cuique propriam largiatur, quæ animam hominis exornet, Deoq; gratiam, & acceptam reddat. Est igitur antitypus Melchisedec, primum quia omnis origo iustitiæ; deinde quia per sacramenta, & alia instrumenta infundit iustitiam quam deinceps fidei, spei, & charitatis exerci-

מלכא
דכמחות
Sic Iose-
phus lib. i.
c. 11. antiq.

Sic Areop.
cap. 10.

rio auctiorem efficit.

Et rursus Rex scholim. Sine salem: nihil enim est aliud, quàm hebraica, & syriaca prolationis varietas. melecschalim, ita Moses. Paulus autem syro hæc reddens idiomate.

Id est, Rex pacis. malco daschlomo. Erat enim Rex, & sacerdos. D. Hieronymus citato loco dicit omnes Latinos, ipsumq; Iosephum putare eam fuisse urbem scholim, quā dicimus Ierusalem, immò Jonathan ad Genesim pro scholim Ierusalem reposuit: Hieronymus tamen ad Enagrium, ubi rem magis serio expendit, ait fuisse urbem chananæam iuxta Schytopolim, ubi Iacob dicitur venisse in Socoth iuxta Scholim, & sua ætate ibidem ruinas palatii Melchisedec visas narrat. Igitur figurabat Melchisedec Christum regem pacis, illumq; esse fontem omnis vere pacis, quæ diffusa in corda fidelium sensum omnem exuperat, consecranea reconciliationis cum Deo. Neque tamen & hæc publica homines inter pax non est Dei band poenitendum munus.

Cuius neque pater, neque mater scribuntur in genealogijs. Græci scitissimè ἀπαλόγα, καὶ ἀμήλογα, καὶ ἀγενόγον vocant: quod audent quidā reddere, incerti patris, & incerte matris. Planius tamen in syro. Neque in Genesi, neque in paralipomenis vel pater, vel mater nominatur, vel omninò tegitur eius genealogia: cum fuerint harum rerum Iudei semper studiosissimi; adeo ut vocet Apostolus interminatas genealogias. His verbis magnò opere nitentur hæretici, de quibus in eadem epistola Hieronymus, & Epiphanius in hæresibus Hieracitarū, & Melchisedecianorum. Hierax enim istum adse-

מלך שלם

מלכ
שלם

Lib. i. c. 18

antiquit.

Genes. 14.

Genes. 13.

rebat

Epistola

In Melchisedecianis.

Ignatius E-
piph. Hier.
aiunt vir-
ginē fuisse
Melchif.

rebat Spiritum sanctum: Samaritæ Sem Noë filiū,
ita Ionathas, ita Iudei recentiores, & illorum nimis
addicti sententiis hæretici; quos opinione multorum
manifeste refutat cū historia geneleos, tū anno-
rum ratio. At nos rem in dubio relinquimus, quæ nu-
meros tangit, ob calculum 70. & supputationē He-
breorum diversissimam. Quæ igitur silentij ra-
tio? An quod voluere nonnulli, quia matre scorto, pa-
tre incerto natus? Sed respondit huic calumnie iam
olim Epiphanius. Quæ igitur alia? Ut nimirum silē-
tio referret quodammodo Christi generationem æ-
ternam, & abditissimam. Nam alioqui ut cuncta
displodantur deliria; huius viri Patrem Heraclā,
Matrem Asteroth, siue Asteriam idem vocat Epi-
phanus. Addit præterea non huic soli accidisse, ut
parentum series nusquam, vel nomina proderentur;
cū in Elia, Daniele, & alys idem deprehendamus:
nē videlicet hæreticis ex ea re commenti præberetur
occasio, si in uno tantum id contigisset. Id igitur sibi
vult sine patre, sine matre, &c. nempe, Spiritum
sanctum noluisse per Moſen huius viri parentes, ac
stirpem in scripta referri. Hic itaque et si patrē ha-
buerit: tamen perinde ac si caruerit, in scripturis non
nominatur. Christus autem revera patrem in terris
non habuit, nec in cœlis matrem: & veritas in Chri-
sto; typus, & umbra in Melchisedec. Christus quo-
que duplici modo est sine genealogia; cuius generatio
enarrari non potest. Nam ut omittamus æternā, ad
quā nē aspirare quidem licet: quis eam, quæ in terris
super omnem naturam est, assequi valeat?

Neque principium dierum eius, neque fi-
nis vitæ eius. Est eodē modo intelligendum. Neque

ETIHA

enim, quod de alijs legimus in generationum serie, usquā de isto occurrit; ut de ortu, etate, morte quicquam liceat constituere. Et hac rursum, quantum ad Melchisedec, in typo. Christus autem verē secundum diuinā de patre generationem est æternus, neque initium, neque finem habens, immortalis Deus, & fons immortalitatis.

Sed in similitudine filij Dei manet sacerdotium eius. Hoc utebatur loco Veteres aduersus eos, qui Melchisedec Dei filium Christo superiorem adserebant. Quomodo enim, si esset Dei filius, diceretur assimilatus filio Dei? Noster autem Syrus apertissimē confutans hæreticā impietatem, dicit in similitudine fuisse filij Dei Ex parte fuit Dei filio similis; nimirū, quia eius sacerdotium manet æternū. Quomodo? Quia in scripturis neque patrem, neque matrem, neque genealogiam habuisse; neque sacerdotio defunctus fuisse dicitur, quod est æternitatis quoddam exemplar. Euthymius dicit propterea manere sacerdotem; quia eius filij non nominantur, quibus per manus sacerdotium tradiderit, ut Aaron Eleazaro, hic Phineas, qui rursus alteri.

Sed quæ ratione Christus manet æternū sacerdos? Quia semel obtulit sacrificium, ex quo olim, & nunc omnia sacrificia vim habet, & habitura sunt suam; deinde (ut patres Tridentini aiunt) quia sub ultimam noctem sacrificium instituit, quod ipse obtulit, & eo fructus est, teste Cypriano, quod habet vim ex cruce; & sic instituit, ut perpetuo offerretur, non tñ per homines, quā per ipsum. Unde sic loquitur Epiphanius. Christus est victima, sacerdos, altare. & suscipit sacrificium: ita ut sacerdotes manuum accō-

S

modent,

Epistola

modest, lingua verba pronuntient; sed Christus peragat, quia eius meritum, & virtus operatur. Unde enim alioqui tanta vis homini mortali, ut panem, & vinum in corpus non quodlibet, sed filij Dei, momento transmutet? Recte igitur oecumenius: Si consideraremus, inquit, Christi sacrificium, tantum ut est oblatum in cruce, atque in cena institutum: non possemus aeternum eius sacerdotium adserere. Nulla igitur est hereticorum cavillatio, prementium verbum p̄veci, manet. Nam cum agatur de Melchisedec, qui assimilatus est filio Dei, liquet non accipiendum, ut ipsi somniant, quasi omne sacerdotium excludatur. Nam tunc ne Aaron quidem, eiusq; filij sacerdotes, aut pontifices dici possent, qui Melchisedec aetatem secuti sunt. Manet igitur: quia scriptura non dicit mortuum, ac desisse. Notandum autem diligenter Syrum Paulum non sacerdotem, sed sacerdotium dicere, tametsi tantundem fortassis videatur: magis tamen refragatur hereticorum instituto, neminem scilicet mortaliu visibile habere posse sacerdotium. Igitur Christi sacerdotium manere adserimus, quod in cena institutum secundum ordinem Melchisedec, propter usum panis, & vini: deinde quia sacerdos ipse est, ac per suos quotidie sacrificium perficit, hostiam suam gerens ministris, efficacem reddens, & cum patre suscipiens. Hactenus quae erant de typo considerata. Nunc eadem est mira industria Paulus in antitypo demonstraturus.

Syr.

Spectate autem, quam
tus sit iste, cui abra-
hamus,

Vulg.

Intuemini autem,
quatus sit hic, cui et
deci-

hamus, caput patrū, *decimas dedit de*
dedit decimas, & pri *præcipuis Abrahæ*
mitias. Iis nāque, qui *patriarcha. Et qui-*
ex filijs Leui suscipiūt *dēm de filijs Leui*
sacerdotium, māda- *sacerdotiū accipien-*
tum est lege, vt deci- *tes, mandatum ha-*
mas accipiāt à popu- *bent decimas sume-*
lo, ipsi à fratribus suis *re à populo secun-*
etiam si & ipsi dē lū- *dum legem, id est, à*
bis Abrahami sint e- *fratribus suis; quā-*
gressi. Iste autem, qui *quām & ipsi exie-*
scriptus nō est in ge- *rint dē lumbis A-*
nealogiis ipsoꝝ, de- *brahæ. Cuius autem*
cimas accepit ab A- *generatio nō adnu-*
brahamo; & benedi- *meratur in eis, deci-*
xit ei, qui acceperat *mas sumpsit ab A-*
promissionem. Non *braham; & hunc,*
est controuersia mi- *qui habebat repro-*
norem benedici à se *missiones, benedi-*
maiore. Et hic homi- *xit. Sine ulla autem*
nes mortales accipi- *cōtradictione, quod*
unt decimas. Atqui *minus est, à meliore*
de hoc estatur scrip- *benedicitur. Et hic*
tura, quòd uiuat: & *quidē decimas mo-*
vt quis dicat; per A- *riētes homines acci-*
brahamum ipse quo- *piunt: ibi autē cōte-*
que Leui, qui alio- *statur quia uiuit. Et*
quin *S 2* (v2

quin decimas accipit, (ut ita dictum sit)
 decimatus fuit. Nam per Abraham, &
 etiam tunc in lum- Leui, qui decimas ac-
 bis erat Abrahami cepit, decimatus est.
 patris sui, cum ei oc- Adhuc enim in lu-
 curreret Melchise- bis patris erat, quā-
 dec. dō obuiavit ei Mel-
 chisedec.

VT hac pericope melius intelligatur, credo non
 futurum abs re, si argumentorum antemem-
 bra aperiamus. Hoc igitur agit Apostolus, Iudaicā
 hierarchiam, & Aaronicum sacerdotium esse multis
 nominibus impar Melchisedec. Erant enim Leui-
 te mortales, eorum decimatio non erat perpetua: de-
 inde à fratribus, qui laborarunt, decimas accipiebāt,
 agnoscantibus cuncta se habere à Deo, cuius erāt Le-
 uitae ministerijs mācipati. At Melchisedec non ab
 ipsis Iudeis, sed à capite omnium accepit Abrahamo,
 cui promissum erat à Deo futurum, ut in eius semine
 benedicerentur omnes gentes. Et hoc ad rem facit,
 quod is nulla lege coactus, sed ultro dederit, solam in
 Melchisedec dignitatem, religionem, ac typum re-
 veritus. Adhuc Leuitarum neque familie, neque
 numerus ignorabatur, legisq; presidio fulciebātur ad
 agendum: Melchisedec neque lege, neque genealogia
 nixus, primò congressu ita rapuit Abrahamū in sui
 admirationem, ut omnium primitias, ad sacrificium
 accedens, offerret. Qui & ipse Leui, cum posteris
 omnibus, in paternā illa pietate numerandus est.
 Mirabilem igitur hunc esse oportet, cui legalis hie-
 rarchia

archia uniuersa libenter tributū pendit, typo Christi sponte se subiiciens. Quid si nunc ipsum Christum conferres?

Specetate. Religiosum mihi est à verbo discedere. Latini tamen, sine contemplari dicant, siue intendere, non adsequuntur, quod in syra, & græca voce positum est. Vos, qui estis exercitati in componendis theorijs, & mysticis contemplationibus, hic eā artem exercete, & expendite, quod dudum exposui. Nam apud Dionysium, & Chrysostomum beatepiv mysticè interpretari, & figurā accommodare veritati significat: vt sit hic sensus, Figuram Abrahami, et Melchisedec allegorica contemplatione interpretamini.

Cui Abrahamus, caput patrum, in quo, velut in radice, & semine, latet res Iudaica, & tota hic archia legalis. Hinc licet constituere, qui sint patriarchæ.

Dedit decimas, & primitias, quod est indicium verissima subiectionis. Exprimit Syrus duabus vocibus, quod Lucas vocauit δακίην ἐκ τῶν ἀποθνήσκων. Significant autem ἀποθνήσκων ea proprie, quæ defuncti periculis ex voto offerunt. Latinus vertit præcipua, vt primum idē sit, quod præstantissimū, deinde quod loco decimarum Deo, propter liberationem ex periculo quopiam, offertur. Dedit igitur Abrahamus, non malignè, quod fuit deterrimum sed nobilissima queque: nec auara manu, sed liberaliter, ut potè decimam.

Iis namque, qui ex filijs Leui, &c. Est alia comparatio. Mementote huius, quod scitis mādaturum esse in lege filijs Leui, vt acciperent decimas à populo, non autem à sacri ordinis hominibus. Nisi

Epistola

enim id lege cautum fuisse: neque dedissent gens auara Iudei, neq³ Leuita extorquere potuissent. Igitur iussi facere, fecerunt, licet in prophetis aliquando appareat eos fuisse legis huius oblitos. Sed Abraham fortè nunquam prius viso, occurrenti, & ad sacrificiū inuitanti, summa liberalitate cuncta detulit: Leuita autem à fratribus suis non ita depreſſis, sed penè aqualibus.

Etiamsi & ipsi dè lumbis Abrahami sine egressi. Noster Latinus non ita perspicue: Quamquam & ipsi exierunt de lumbis Abrahæ. Dubium enim est, an ad Leuitas, an ad populū sit referendum: sed syrus proculdubio ad populum respicit. Lex præcipit Iudeis eodem patre natis, eosdem sortitus proanos, dare decimas, & primitias.

Iste autem, qui scriptus non est, &c. Leuita habebant suas genealogias, ex quibus probatum facerent se esse ex genere leuitico, sibiq³ proinde deberi decimas: Melchisedec autem nihil tale habuit, neque tamē ideo minus uberrimas decimas promeruit.

Et benedixit ei. Nō tantū laudauit, sed profuit homini, Deoq³ reddidit amiciorem sacerdotali benedictione.

Qui acceperat promissionem. Et id quidem erat eximium, quod ea ratione fuerat Abrahamus totimundo prelat³, dum illi conditum est à Deo: Tu ex omni carne meus es, futurus es mee particeps eternitatis, ex tua carne meus aliquando nascetur filius, solaq³ tua posteritas salua futura est. Nihilominus tanta prerogatiua locupletatus, se se letabatur auctum Melchisedeciana benedictione.

Non est controuersia minorem benedictiā se ma-

se ma-

se maiore. Hæc pars magnas habet difficultates. Sunt enim aliquot genera benedictionum, quæ hic videntur posse intelligi. Est enim sacerdotum benedictio in Numeris; ubi re vera fore benedictos dicitur eos, quibus sacerdotes fuerint bene precati. Videre licet alterum genus benedictionis, quæ & animantes, & res exanimis feruntur benedicere Deum. Est & tertium, quo maioris quispia authoritatis viitur erga alterum. Sic Isaac declarauit Iacobum heredem fore diuinæ promissionis factæ Abrahamo; sic Iacobus benedixit filiis Iosephi, & efficit a brachijs cruce ostendit se promissa condum futura per eandem benedictionem felicitatis. Est difficilimum videre, quomodo istud dicat Apostolus. Quia tamen præcessit Abrahamum, ut subditum, & laicum à Melchisedec benedictum fuisse: videtur convenientius, ut de sacerdotali accipiamus; quæ Deus per sacerdotem, ut instrumentum, benedicit homini. Non desunt, qui ad secundum genus, quod latissime patet, quod non est aliud, quam laus, & elogium, pertinere volunt: sed proculdubio consistere illud non potest, cum videamus à minore faustis acclamationibus quotidie maiorem benedici. Sed mox per alia scriptura loca cogimur in magnas angustias. Quid enim dicemus de Simeone doctissimo, ac legis peritissimo; qui apud Lucam refertur puerum, secundum exemplaria latina, vel vnâ cum puero, ipsos quoque parètes, ut Syri, & Græci legunt, benedixisse? Num Christo, vel Maria maior fuit, qui sibi arrogare ausus est benedicere cæli, terræ, reginæ, quam haud ignorabat, qui occultissimorum se conscium fuisse prodit, & (si credimus Hebræis traditionibus) discipulus Hillel fuit,

Theophy.
Euthymi.

In synopsi.

In festo pu-
rificationis
Deiparae.

fuit, quem cum Solomone paria facere potuisse ad-
serunt. An autē puerum ne sciebat Deū esse, qui in
spiritu venisset in tēplū? Quomodo ergo dicit 'Paul-
us istud alienum ab omni controuersia? Et si quorū-
dam recentiorum, & nonnullorum Græcorum sentē-
tiam sequeremur, adserentium Simeonem non sacer-
dotem, sed plebeium, & vnum ē vulgo fuisse, qua-
stio redderetur difficilior: magis tamē vetustioribus
accedo, sacerdotem dicentibus. Nam & Epiphanius
vocat insignem sacerdotem, & prophetam ex domo
Aaron; cui subscribit Cyrillus Ierosolymitanus in
quadam concione, nuper in vitis Aloysij Lippomani
edita. Hic igitur Maria, ac Iosephi modestiam con-
siderans; tametsi non ignoraret haud egere sua bene-
dictione: eam protulit formulam lege præscriptam;
suoq; functus est officio. Quod si quis eam velit tā-
tū legis interpretem, non sacerdotem; cateroquin
virum sanctissimum: extra controuersiam est fuisse
prophetam, & sic isto fungi munere potuisse. Quod
si a sententia Cyrilli, & Epiphaniy discederemus: non
indotē quendam προφητιαν agnosceremus, solumq;
ad Iosephum benedictionē pertinuisse; maxime eam
mox dicatur conuersum ad Mariam dixisse: Ecce
positus est, &c. Huc facit, quod ex Cyrillo Alexā-
dri. superius dictum est non obstitisse Abrahami præ-
stantiam, quominus ei Melchisedec sacerdos bene-
diceret. Sed ad viam reuertatur oratio. Est sacerdos,
dum suo fungitur officio in benedicendo, maior non
quidem semper vite merito: sed dignitate functionis,
& numeris; & plebem, quantumvis sanctam, hac
parte logē superat, ut Melchisedec Abrahamum;
licet maiorem huic sanctimoniam Cyrillus non ve-
reatur

reatur adscribere. Nec illud parum ad rem facit, quod Epiphanius in Collyridianis ait Virginē sanctissimam angelica puritatis, ac virtutis optime sibi consciam, se pro laica gessisse; atque in ijs, quæ religionis erant, sacerdotum ministerio eguisse.

Et hîc homines mortales accipiunt decimas. Quorsum? Si Melchisedeo sacerdotio successit lex: ergo illud abrogatum est, legisq; sacerdotiū fuerit Melchisedeciano præstantius. Quid enim alioqui Aaroni fuit opus? Hoc incommodum tamen dextrè Paulus amolitur, ut doceat simul ipsam legem declarare legale sacerdotium non fuisse perpetuum, sed per illud, quod ante legem fuerat, quod Christus erat reducturus in orbem, antiquandum fuisse. Cum igitur in Mosaica religione mortales decimas acciperent: sua ipsi morte innuebant sacerdotium non esse permanens, cuius administri moreretur, sibiq; per manus prouinciam traderent. Voluit enim Deus illud ad tempus duntaxat esse ratum, donec Iudei dediscerent superstitiones, & pecudum, quas in Aegypto viderant, mactationes: simul autem ut venit Christus; atque illi visi sunt edormiuisse crapulam Aegyptiaticā; tum redit sacerdotium Melchisedecianum. Sed nunquid & Melchisedec mortuus est?

Atqui de hoc scriptura testatur, quod uiuat. Sacerdorum enim legalium mortes legantur, de isto nihil simile: quod est indicium immortalitatis. Sic interpretes. A quibus si licet interdum nonnihil religiosè discedere, scripturæ vocabulum, quod Latini, Græciq; non habent, mihi videtur psalmum 109. digito commonstrare, ad quem superius respexerat Apostolus: ut ille psalmus testetur sacerdotiū Mel-

Epistola

chisedec esse aeternum; sicut reliquis in scripturis Iudaicum intermorum fuisse manifestum euadit.

Et ut quis dicat. Si licet vera loqui; si quod in re ipsa latet, proloqui possem. Græci, ut ita loquar, ut breuiter, & compendio dicam.

Per Abrahamum ipse quoque Leui, &c. Per metonymiam Leuitas omnes, ac vniuersam hierarchiam Mosaicam intelligit, quæ cum accipiat decimas, dedit Melchisedec.

Nam etiam tunc in lumbis erat. Hinc ducimus regulam demonstrande labis originalis. Quomodo enim per proauum Leui, cum tota posteritate, decimas dedit: sic omnes in Adamo peccauimus, in quo velut in semine latebamus, accepturi bona, si permansisset, si secus, mala, quæ nunc exhaurimus. Enumeratis ad hunc modum argumentis, quibus Melchisedec sacerdotium legali præfertur: relinquit cogitandum Iudeis, quid de prototypo sit statuendum. Videtur autem viris doctis, nec immerito, iam expedita de sacerdotio questione, nouum caput instituendum. Nam hucusque de rebus propositis, regno, apostolatu, ac sacerdotio Christi disputauit: & tanquam si satis de eius persona differuisset, mutato nunc ordine de ipsius officiis ab hoc loco usque ad decimum octauum versus capitis duodecimi disputabit, quem tum usque ad caput decimum tertium excipiet de apostolatu tractatio, ac postremo de regno est verba factururus, ut inuersa serie eodem se recipiat, unde progressus est.

Syr.

Quòd si igitur perfectio

Vulg.

Si ergo consummatio

fectio per sacerdotiū
 Leui esset, in quo lata
 est lex populo: quā-
 brem requisitus fuisset
 sacerdos alius, qui
 surgeret in similitudi-
 ne Melchisedec? Di-
 xit autem, in simili-
 tudine Aaron ut fie-
 ret: sed quemadmo-
 dum fuit variatio in
 sacerdotio; sic varia-
 tio fuit in lege. Is e-
 nim, de quo hæc di-
 cuntur, de tribu alia
 fuit natus, de qua ne-
 mo seruierat in sacra-
 rio. Manifestum est
 enim de tribu Iuda
 ortum esse Dominū
 nostrum: de qua tri-
 bu Moyses nihil dixit,
 quod pertineat ad sa-
 cerdotiū. Et ampliū
 notum est in
 eo, quod dixit in si-
 militudine Melchise-
 dec

*matio per sacerdo-
 tum Leuiticū erat
 (populus enim sub
 ipso legem accepit)
 quid adhuc necessa-
 rium fuit secundum
 ordinē Melchisedec
 aliū surgere sacer-
 dotem; et non secū-
 dum ordinem Aarō
 dici? Trās lato enim
 sacerdotio, necesse
 est, ut & legis trās
 latio fiat. In quo e-
 nim hæc dicuntur, de
 alia tribu est, de qua
 nullus altario præ-
 sto fuit. Manifestū
 est enim, quod ex
 Iuda ortus sit Do-
 minus noster: in
 qua tribu nihil de
 sacerdotibus Moyses
 locutus est. Et am-
 pliū adhuc manife-
 stum est, si secundū
 similitudinem Mel-
 chise-*

dec surrectorum aliū *chisedec* exurgat a-
 sacerdotem, qui non *lius* sacerdos, qui nō
 esset secundum legem *secundum legē mā-*
 mandatorum carna- *dati* carnalis factus
 lium: sed secundum *est; sed secundum*
 potentiam vitæ in- *virtutem* vitæ inso-
 dissolubilis. Testatur *lubilis. Contestatur*
 enim dē eo, esse ip- *enim, quoniam tu es*
 sum sacerdotem in æ- *sacerdos in eternū*
 ternum secundum or- *secundum ordinem*
 dinem Melchisedec. *Melchisedec.*

HAC parte constitutum fuit Apostolo docere
 Leuitici sacerdotij inbecillitatem in eo pre-
 stando, quo vel Iudaicus populus perficeretur, vel re-
 dimeretur genus humanum.

Quod si igitur, &c. Si prior populus poterat
 saluus fieri, benēq., ac beatē vivere per pedagogiam
 legis veteris, & sacerdotium; nihil erat, cur Deus
 mentionem faceret cuiuspiam sacerdotij: cum autem
 apertissimē alterius meminisset, & quidem ex diuer-
 sa tribu procreandi, necesse est veterem legem cum
 suis sacris inutilem, ac mortalem esse. Hac autem
 perfectio non de ornatu, legibus, & alijs ad perfectā
 politiam spectantibus, sed dē cā, quæ populo velut
 imprimatur, est intelligenda. Nam si Leuiticum
 ministerium valuit iustum reddere populum: non al-
 ius sacerdos quæretur. Quorsum autem alium pre-
 dicat David, quorsum ait diuino iuramento confir-
 matum: nisi foret ille Aaronicus ē medio tollendus?

Respicit

Respicit enim Apostolus ad verba psalmi 109.

In quo (nimirum sacerdotio) Lex lata est populo. Græci ὁ λαὸς γὰρ ἐστὶν αὐτῷ νενομισμένος, quod Latinus est secutus, videtur magis impeditū. quasi hoc vellet, ut nonnullis placet: Accepit legē populus, secundum quā vivere, & Deum colere deberet. Syri paulo apertius, In sacerdotio instituto populus accepit legem, & catechizatus fuit. An verò legem accepit simpliciter? Minime: sed accepit ediscendam perpetuo ex ore sacerdotum, qui veluti promi, & cōdi constituebantur. Lex enim propria sacerdotum officia seorsum exclusis alijs præscribebat; & quibus in expiando populo ritibus uterentur, in conciliando numine, auertendis cladibus, & alijs, præcipiebat: ita ut fides, religio, necessariaq; doctrina cognitio penderet ab ipso sacerdotio: et nihilominus hoc præterito fit mentio noui. Cur non potius secundum ordinem Aaronicum surrecturus, denuntiatur cuncta reformaturus, & pristina iuuentuti redditurus sacerdos: quā secundum ordinem Melchisedec, qui cum Aaroni nihil commune fuit?

Dixit autem in similitudine Aaron ut fieret. Sic scriptum est Numerorum 16. & 17. ut nulus crearetur sacerdos, nisi de Aaron posteritate; & idem repetit sacer scriptor, licet obscurius, libri 1. Reg. 2. ad quem locum Procopius Gazæus testatur enigmatica doceri, quod hic aperte Paulus ostendit, nempe, abrogatum iri pontificatum Heli, & multo præstantiorem surrogandum.

Sed quemadmodum fuit variatio in sacerdotio, &c. In his verbis heret tota vis apostolica ratiocinationis. Hac enim ex re, ut ex psalmo 109.

varia-

variationem esse colligimus, mutationem, seu translationem (ut noster loquitur) sacerdotij; atque adeo necesse fuisse totum vetus testamentum obliterari. Jam enim de sacrorum Iudaicorum abrogatione disputarat Apostolus: nunc autem de lege tantumdem dicit expectandum. Qui hoc probat? Quia in ea duplex sacerdotium esse non potuit. At qui in nona sunt gemini sacerdotes, nimirum laici, qui suos in baptismo consequuntur ordines; & qui postea consecrantur ab Episcopis: quid ni eodem modo in veteri lege Leviticum penes Aaronis posteros, & Melchisedecianum apud alios sacerdotium? Respondent interpretes fieri nequiuisse: quia lex, ut antea diximus, pendebat à sacerdotio; & eadem, quicquid rituum, & sacrorum erat, præscriptum habebat. Sed poterat præscripta seruari in Aaronico. Nequaquam. Vidisses enim mox populum, illo relicto nimis quam operoso, conferre sese ad expeditius Melchisedecianum: quod planè legi fuisset aduersum, ut antequam, præter tribum Levi, vel tantillum attentare. Itaque repugnante lege, nullum erat locum habiturus Melchisedec. Hoc igitur pro diuina sua sapientia Paulus, quod nostrum nemo vel suspicari quiniisset, ex verbis psalmi 109. colligit.

Tu es sacerdos, &c. Ergo Aaron, cum suis omnibus explosus est; legemq; tam intimè connexam, ut renelli non possit, unà mutari, tolliq; necesse est. Cum enim illa præcipiat legem à sacerdote petendam: consequens erat, ut alterutro mutato, mutaretur & alterum.

Is enim, de quo hæc dicuntur, de alia tribu natus fuit. De quo, scilicet homine, & Deo, tam magnifi-

magnifica cantantur apud Dauidem de alia tribu fuit. Sed de ea quoque (inquit aliquis) usurpare sacerdotium quispiam valuisset; vt ex 1. Reg. capit. 2. diximus. Huic obiectioni occurrens Apostolus ait.

Dē qua nemo seruiert in sacrario. *Seruitus ista sacrificialis est, Deiq; cultus precipui. Sacrariū autē est locus, in quo offertur sacrificium, mizbeach* θυσιαστήριον: cuius tribus alumnus nemo unquam sacrificauit, diuinisq; rebus est operatus. Est hic rursus *synecdoche*: quia sacrificium, tanquam pars primaria, pro toto officio sacerdotali ponitur. Nulli autem permissum sacrificium, nisi sacerdoti.

Adverbum
(Seruit)
מִזְבֵּחַ

Manifestum est enim de tribu Iudæ, &c. Si queras tribum Domini, aut sacerdotis Melchisedeciani; fuit tribus Iudæ: cui non sacerdotium, sed res bellica committuntur. Sed vnde istud tam confidenter adsumit Paulus; quasi nullus queat ambigere? Respondent interpretes, quod res est, Iudeos non solum habuisse genealogias à primo patriarcha ad ultimum in archiuis publicis; sed & priuatim sepenumerò (quas ex Africano didicimus Herodem Idumæum, & ignobilem exussisse) bonamq; vite partem in ijs ediscendis posuisse; vt à capite ad calcem vsque per auium, & maiorum imagines promptissime stirpis quisque suæ seriem percensere posset. Nè dicam proinde curatum idem à Deo in totius orbis per Augustum descriptione, vt dubitare nemo posset Iosephum, atque sanctissimam Virginē tribus Iudæ fuisse. Vnde & Tertullianus lib. 1. contra Marcionē, & aduersus Iudeos, idem tabulis Romanis demonstrari posse dicebat. Hunc autem ortum non simpliciter volunt accipi, sed allusionē esse ad id, quod passim est

Epistola

Balañ c. 24. *sim est in prophetia. Quā in re duo notanda sunt;*
 Numero iū *non esse opera natum humana, & eius lumine totius*
 Zac. 3. & 6. *orbis depulsam caliginem: ut mirifica huius Oriētis*
 Luc. 1. *natiuitas, & efficacia demonstratur.*

De qua tribu Moſes nihil dixit, quod pertineat ad ſacerdotium. Itaque quādiu lex uigebat, non poterant eius tribus homines ſe ingerere; adeo ut infelix OXias quippiam attentans, fuerit lepra percuffus: ideo neceſſe eſt hunc ſacerdotem eſſe alterius generis. Verū eſto (inquies) mutauit Deus, & ex alia tribu ſacerdotē conſecrari, propt̃ r Lenitici ordinis intoleranda ſcelera, praecepit: debet ille Aaroni praſcripta ſeruare; neque iam legem mutari neceſſe fuerit. Nam fuit perpetua quaedam inter Iudae, & Leni tribus communio, puellis in alterutram coniugio migrantibus; ut in Aminadab uidere fuit, & Elizabethae, ſanctiſſimaeq; Virginis matribus; quae ſacerdotalis tribus cum eſſent, nupſerunt uiris tribus Iudae. Hanc obiectionem enertit Apoſtolus, dicens.

Et ampliū rurſum notum eſt in eo, quod dixit, &c. Quando dicitur futurum alium ſecundum ordinem Melchisedec; cuius ſacerdotij in ueteri lege nulla eſt mentio, ſed tātum Aaronitici: patet Lenitis ablatum ſacerdotiū, & datum iri Melchisedecianis, qui typum ſuum imitarentur, neque vacarent umbris, uti Lenitici ordinis ſacerdotes.

Qui non eſſet ſecundum legem mandatorum carnaliū. Noſter mandati carnis, ut & Graeci clarius tamen, quod ex Syro redditum eſt. Optime autem omnium Theodoretus ait legem dici carnalium mandatorum, propter carnalem ſucceſſionē;
cūm

cum alienus, quantūcūq; præstas, & sanctus, ad sacerdotium aspirare non posset. Et illa quidem lex, quæ successionem postulabat, ex diametro pugnabat cum Melchisedecianorum lege. Nam sacerdos mortalis mortale quoque sacerdotium ostendebat: Melchisedec autem immortalis æternum designat. Carnalē igitur legē, propter carnales sacerdotes vocauit. Et cūter in hac notatione carnis latet argumētū nō diuturni sacerdotij: quia quod carneū est, sensibusq; patens, fluxū est, ac penē momentaneum. Existimat autē Theodo. cursim hīc innui, quod postea fusius declarabitur, legē habuisse multa carnalia, lotiones, expiationes, suffitus, ciborū discrimina: nec animorū fibras attrigisse. Addatur istud præcedēti commētario.

Sed secundum potentiam vitæ indissolubilis. Talis erit Melchisedecianus, nempe, æternus, qui successorem non metuat. Nam licet interdū lege perpetua res Aaronis sanciri audiamus: non aliud, quā tempus præstitutum significatur, ac terminus correctionis, donec veniret antitypus. Hoc colligit Paulus ex ratione ordinis, siue initiationis. Scriptura mortis huius sacerdotis non meminit: immō nē deuteroseon quidē curiositas, & historie Iudaicæ quicquam tradūt; in quibus et si patris, matrisq; nomina habeantur; nusquā tamē annus, mensis, dies, locus mortis eius. Hoc est igitur: Secundum potentiam, seu virtutem vitæ indissolubilis: ut qui nunquā vita sit defunctus. Ad hunc modum rebus constitutis, adhibet testimonium, quo doceat Dauidem ita vocem istam accepisse.

Testatur enim de eo, esse ipsum sacerdotem, &c. Non debemus post Paulinam interpretationem-

T

tionem-

Epistola

tionem ambigere vocem, in æternum, seculorum, temporumq; immensa, & quæ finem nesciant, spatia designare, quavis in lege aliud, nempe legales periodos, vel præfinitum aliquod seculum significarit. Nunc igitur habemus, quicquid erat a Paulo præpositum, infinitis parafangis Melchisedec, id est, christianum sacerdotium Aaronico præstare: deinceps incipiet aperte conuellere, quicquid fuit in veteri lege, tanquam nulla virtute præditum.

Die tertio candidatorum.

Legitur caput sequens tertia a pascha die, cum rectis baptizati in symbolū accepta innocentia candidi induerentur: vt disceret cōuersi potissimum a Iudaismo, quātum inter seruitutē legis, & euangelij libertate, & vtriusque vtilitatem intersit; vbi Paulus egregijs antithesibus committit legē, eiusq; sacerdotium cum lege, & sacerdotio Christi.

Syr.

Vulg.

Mutatio autē, quæ fuit mandati prioris, facta est propter ip- sius imbecillitatē, & quod vtilitas nulla esset in eo. Nihil e- nim perfecit lex. In- trauit autem pro ea spes melior ipsa, qua appropinquamus de- o, & certiorauit de ea	Reprobatio qui- dem sit præcedenti mādati, propter in- firmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: intro- ductio verò melioris spei, per quam pro- ximamur ad Deū; Et quantum est nō
nos	sine

nos iuramento. Isti *sine iureiurādo* (a-
 enim fuerunt sacer- *ly quidem sine iure-*
 dotes sine iuramēto: *irando sacerdotes*
 hic autē cū iuramēto; *facti sunt: hic autē*
 sicuti dixit ipsi per *cū iureiurādo per eū*
 Dauidē: Iuravit Do- *qui dixit ad illū: Iu-*
 minus, & non mētie- *rauit Dominus, &*
 tur; quia tu es sacer- *non pœnitebit eum;*
 dos in æternū in si- *tu es sacerdos in æ-*
 militudine Melchise- *ternum) in tantum*
 dec. Tantō melioris *melioris testamenti*
 testamēti huius spō- *sponsor factus est*
 sor factus est Iesus. Et *Iesus. Et alij quidē*
 isti fuerunt sacerdo- *plures facti sunt sa-*
 tes plures, eò quòd *cerdotes; iccirco*
 mortales essent; & nō *quòd morte prohibe-*
 possent permanere: *rentur permanere:*
 hic autem quia in æ- *hic autem eò quòd*
 ternum permanet; sa- *mane in æternum,*
 cerdotium eius non *sempiternum habet*
 præterit; & potest sal- *sacerdotium. Vnde*
 uare in æternum eos, *& saluare in perpe-*
 qui appropinquant *tuum potest, acce-*
 Deo per ipsum. Viuit *dens per semetip-*
 enim ipse omni tem- *sum ad Deū, sem-*
 pore; & offert preces *per viuens ad inter-*
 pro illis. *pellandū pro nobis.*

IAm dixerat legem antiquatam; idq̃, conuicerat, petitis argumentis à necessitudine legis, & sacerdotij: ne quis autem quæreretur, quid causse fuerit, cur Deus à se quondam institutam abrogauit; cum nemo non videat recepta semel religionis mutatione semper esse periculosam; Paulus cum percunctatorem multis rationibus edocet.

Mutatio autem, quæ fuit mandati, &c. Vis causam agnoscere abolitæ legis, & sacerdotij? Quia non poterat homines ad vitam eternam ducere; iugum erat intolerandum; mandata non bona; tantum in eum usum data Iudæis, nè conuolarent ad idola; quos erudiri oportuit lege meram seruitutem habente: ac verò nobis eam imponi non decuit, vocatis in libertatem spiritus.

Et quod utilitas nulla esset in eo, nèpè, mandato. Quare ergo lata lex, si semper inutilis? Habuit suo tempore commoda sua. Inutilis, si ad ingenuos, liberosq̃, Christianos respicias: utilis, si ad Iudæos in idololatriam proclines. Quia autem Christiani nunc reuelata facie Deum contuentur: lex desijt esse cultus Dei; immò verò cultui, qui in spiritu, & veritate consistit, coepit aduersari. Chrysostomus eleganter comparat cum lacte, quod infantes quidem alit; sed robustos nutrire non potest. Non est propriè disputatio de eo, quod olim lex egit cum Iudæis, sed quod esset factura, si filios nunc premeret.

Nihil enim perfecit lex. μηδὲν, nullū hominem. Lex tantum in rebus externis occupabatur. Si quis mortuum, aut immundum attigisset, lauari, si quis homicidium, & verum crimen admisisset, occidī iubebat: non expiabat.

Intra-

Intrauit autem pro ea spes melior ipsa. *Hic introitus ascensum quendam habet, pro syri verbal proprietate, quod ad rei nonnihil facit præstantiam. Habent enim spem Christiani, qua accenduntur ad Deo obediendum. Iudei minis, ac terroribus adigebantur ad officium: Christiani autem, si professionem seruent, non solum Deo morem gerere, sed & pro eo vitam profundere parati sunt, partim spe præmij, partim charitate succensi. Neque tamen interea deest lex. Nulla enim est respublica, quæ suis careat legibus, quid agendum, quid fugiendum docentibus. Videtur autem Apostolus hanc spem synecdochicòs vserpasse, pro cunctis, quibus ad mandata Dei custodienda iuuamur: & ideo in loco eam adhibet, quod Iudei tantum non desponderent animam de promissis euangelicis, cum bona spei nihil affulgeret afflictis. Est & metonymia spei pro rebus speratis.*

Qua appropinquauimus Deo. *Allusum videtur ad introitum summi pontificis, cum per velum à reliquo vulgo discernebatur. Nos hac spe nixi penetramus ad ipsum sanctum sanctorum. Nunc enim per fidem homines euehantur ad fastigium, olim tamen longè perfectius: Paulus autem respicit ad collophonem præmij.*

Et certiorauit de ea nos iuramento. *Nè quis vendi spem pretio sibi putet; cum humanis iudicys habeatur ridiculum præsentium iactura futura mercari: Deus nos de promissis, ac speratis rebus certiores reddidit sic; ut fluctuare, aut locum dare desperationi minime deinceps oporteat. Est enim & hic spei vsus metonymice, pro speratis rebus; ut modò*

Epistola

etiam est dictum. Sequitur alia antithesis.

Isti enim fuerunt sacerdotes sine iuramento: hic autem cum iuramento, &c. *Quid sit Deum iurare dictum est: tatum quæstionem habet, quod transtulimus ex syro, Non mentietur: ubi noster legit, Et non pœnitebit eum; sed Syri peierationem per mendacium explicant. Non peierabit, nec iuramentum violabit.*

Ad verb.
hoc toto.

Tanto melioris testamenti huius sponsor factus est Iesus. *Idcirco noster testamentum, recetiores fœdus, & pactum vertunt, qua est simplicior translatio. Nam agit Apostolus de testamento, ac veluti tabellis, qua contineant fidem, & sententiam pacti: quia tamen idem in voce testamenti significatur; retinendam putavi. Moses olim pactus est nomine populi cum Deo: at in noua lege Christus fuit inter Deum, & homines pacti mediator, adhibitis longè præstantioribus instrumentis; adeò ut pactum illud seruatoris nostri fide, & intercessione constabilitum fuerit, quasi dixerit: Vanum me haberi volo, nisi quod patris mei nomine fidei iubeo, semper sit ratum. Confirmat istud, quæ dicta sunt de spe.*

Et isti fuerunt sacerdotes plures, &c. Hic autem quia in æternum, &c. *Christi sacerdotium non transijt ad alios, nec finem habebit; cum sacerdos æternum permaneat. Hoc loco damnant aduersarij cœcitatem nostram, qui non videamus euerti catholicum sacerdotium; quod nunc videtur in multo plures diffusum, quàm fuerit vnquam Iudaicum. Horum in antedictis liquet solutio. Si enim manet idem fons, in multos licet discissus alueolos; si vni sancta, & catholica Ecclesia nõ refragatur ecclesiarum multitudo*

titudo

titudo: nec istud oberit Christi sacerdotio. Nam sacerdotes non sunt, nisi quadam Christi manus. Nè dicam maiores nostros adserere, non dici rectè posse sacerdotem æternum; nisi per suos ministros sacrificiū panis, & vini perageret. Id autem in veteri lege non reperiatur: quia nec Aaron in Eleazaro, nec is rursus in Phinees operabatur.

Et potest saluare in æternum eos, qui appropinquant, &c. Potest saluare (inquam) partim ut in fonte, partim ut in instrumentis; & quidem in æternum; non omnes, non perfidos, non malos Christianos, sed appropinquant. Rursum alludit ad annuum introitum summi sacerdotis in sanctum sanctorum.

Ad verb.
viuificare.

Viuit enim ipse omni tēpore. Paratus pròinde cunctis adferre salutem: cum veteres sacerdotes, si quid possent per ritus, & fidem in Messiam, momentaneum fuerit, propter mox ingruentē mortē.

Et offert preces pro illis. Absit ut quisquam existimet Christum, post partam victoriā, orare pro nobis, & in morem supplicis gestus habere: sed sicuti sua perpeffione omnia impetravit: ita illo merito, quæ eueniunt nobis, cuncta impetrat bona. Quod enim tunc in diebus crucis promeruit, hoc nunc redditur tā efficaci merito, ut quiduis extorqueat. Iam ostendet Apostolus sanguinem Abel clamare, etiam post iusti mortem iniquam; quia nimirum tam indignum fuit parricidium; ut atrocitate sua Deum vindicem ad ultionē assidue flectere dicatur: è diuerso autē Christi sanguis, nè dē nobis pœne sumatur; intercedit. Chrysostomus addit designari præterea insignem fauorem erga nos: ut intelligamus illum et sua perpeffione pro-

mervisse, & simul favere nobis impensissimè. Theophylactus autem dicit istud fieri, quòd vibices, & cicatrices ille suas patri semper exhibeat, monimètur emercata gratia. Valeant igitur mortui, inquit hereticus. Atqui Paulus suorum preces, orationesq; poposcit: quòd si vivos in hoc seculo non abijcis interpellatores, tunc coheredum Christi preces officere credes ipsius intercessioni? Sed & ignem expiatorium hoc loco cactus exhiberi sibi postulat. Quòmodo enim (ait) Christi meriti participes æternum viventis, deduci credendi sunt ad locum, ubi expientur? At respondeat ille vicissim, quòmodo propheta hortatur Nabuchodonosorum peccata eleemosynis redimere. Que enim est hæc altera redemptio? Et quòmodo propter pœnitentiam Deus hominibus peccata condonat, si ea Christus ad vinum exhausserit? Qui potest hæresis constare sibi, dicens peccatoribus necessariam ad mortem usque pœnitentiam: si penitus peccata Christi mors absorbuit? Quorsum lachryme; quorsum eleemosynæ, & cætera pœnitentium instrumenta: si nihil supersit expiandum? Quòd si quid requiratur ab hominibus saniora iam meditantibus, ut in se vindicent admissa: nōne meritò idem exigatur a vita defunctis, postquam hinc negligentiores abierant?

Tribus antithesibus expeditis inter sacerdotium novi, & veteris testamenti; nimirum, quòd sit Christus melioris testamenti sponzor; deinde quòd legales ministri temporarii sint, Christus æternus; illi plures, hic solus: nunc ferè totidem sequuntur, nempe, Christum esse sacerdotē immaculatissimum; itaque maxime idoneum, qui alijs sanctificandis consulat; cum

in ves

in veteri lege fuerint sacerdotes, qui non tantum alienis, sed & suis emundandis peccatis operam dare necesse haberent; & præterea multis ibi fuisse opus, & quotidie repetitis sacrificijs; hic autē unico Christi sacrificio cuncta peracta.

Syr.

Vulg.

Hic namque talis sacerdos etiam iustus erat, ut esset nobis purus, cui nulla sit prauitas, & nulla pollutio, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælo. Neque ei est necessitas quotidie, quemadmodum principi sacerdotum, prius pro peccatis suis offerre sacrificia, & tunc pro populo. Hoc enim fecit vno tempore in sese oblato. Nam lex filios hominum infirmos constituit sacerdotes: sermo iurisiurandi, quod factum est post legem, filium perfectum in æternum.

Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus; qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.

Hoc enim fecit semel se offerendo.

Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitate habentes: sermo iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.

T 5

Hic

Epistola

Hic namque, &c. *Intelligit proculdubio de summo pontifice Christo: interea tamen respicit proprie dictum sacerdotium, siue presbyterium. Atque id est in primis hoc capite, ac per totam fere observandum epistolam, quando de officiis agitur sacerdotibus, Paulum pro iisdem habere, principem ipsum, & minores sacerdotes, & utrosq; in eandem disputationem permiscere.*

Etiam iustum erat, ut esset nobis, Clarius, & ad nostrum usum aptius Lucas græcus, & noster interpreter aiunt talem decuisse nos habere sacerdotem, tam præstantem, quam mox depingeretur, omnium in lege, & ante legem sacerdotum principem. Enumeratur, Paule, huius, & omnium qui ipsum ut prototypum sequuntur, dotes. Nam cum simus sacerdotes secundum ordinem Melchisedec; & prout etiam Christi, & Christiani habeamur: nobis haud ignoranda sunt virtutes nostri sacerdotum principis, & nostræ. En igitur primam christiani sacerdotis dotem, ut sit iustus, seu idoneus, vel Purus, integerrime vitæ; qui omni labe, & culpa vacuus sit, decens suum Deum, ac populum. Latinus sanctum, Græci ὁσίον habent, quæ includuntur in puritate generali, & amplissima virtute, quæ totam legem virtutumq; omnium familiam complectitur. Est igitur minus Latine, & Græcè dictū, quam Syriacè. Nec aliter interpretes, sanctum intelligentes, qui nusquam deest officio, colit Deum ut debet, proximum ut seipsum complectitur. Hinc discat sacerdos Christianus, quantum illi incumbat, ut nihil eorum, quæ sui muneris, negligat.

Cui nulla sit prauitas. Ut non solum malus non sit;

fit: verum etiam ab omni scelere tam alienus; ut nihil in eorumsideat, quod cuiquam incommodet.

Et nulla pollutio. *Qui neque sit corpore, neque animo vitiat.* Curabant veteres ne sacerdotes quicquam attingerent, quo polluerentur: at Christiani cum corpus illibatum, & castum; tum multo maxime mentem incontaminatam seruare debent.

Segregatus à peccatoribus. Latini quidam accipiunt de sacerdotibus Mosaicis peccatoribus; tamen si non defuerint in eis præstantissimi: sed rectius de omnibus omnino peccatoribus intelligemus. *Qui nihil habeat commune cum alijs peccatoribus; nec sit alienis vitijs attaminatus: quod non raro contingit, ut qui caret proprijs, inquinetur alienis.* Christo id peculiare fuit, amicum fieri publicanis, & omnium infirmitati adclinare sese, sine ullius offlatus discrimine; Ioannes autem omnium defugiebat consuetudinem: at christiani sacerdotis cum sit in media plebe versari, debet hac veluti tabella admonitus ubique sibi cauendum esse non ignorare, ut potè mortalis, & peccator; nè dum alios instruit, seipsum contamine.

Et excelsior cælo. Maiores nostri urgent vocabulum *ὑπερμενος*, quod in syro nequeas observare. Adorandus est angelis, & beatis spiritibus cunctis, & mortalibus; qui sub se connexa cælorum despicit, denique sedet ad dextram patris. Mirum, quantis hic lateribus detonent in christianorum, sacerdotum heretici vitam, & peccata; cunctosq; una cum sanctissimo sacrificio exhibitant, tanquam indecentes, ac degeneres. Fortassis canum istorum latratu Deus suos vocat ad meliora: sed quid pro veritatis patrocinio proferendum? Apostolum non agere de in-

Epistola

dē instrumentis, & veluti manibus principis sacerdotum; sed sermonem esse dē eo, qui solus vnus, & vnica hostia expiaturus fuerat totum genus humanum. Quantumcunque sancti, & iusti multi fuerint; quia non Dij, quia non Christi, non poterat adferre salutem: sed is, qui promeriturus erat omnibus veniam, debebat talis esse, qualis describitur. Fuit ergo talis Christus, alioqui nequiuisset mundum redimere: nos illius instrumenta, peccatores sumus, & euadimus eius gratiæ participes, & tanto quis innocentior, quanto haurit copiosius; alioquin haud solum nostrum sacerdotium, sed & laicum euertetur. Cū autem hostes ecclesiarum ministros (ut vocant) se dictitent, quanti libet obrutos criminibus (nam ea tolli negant) qua fronte nobis hac obijciunt? Quorsum enim, o miser, tuum ministerium non ponis; qui peccatis obiectum te esse non negas? Quid tibi cum baptismo? Quod si tua peccata functioni tue non officiunt: neque nostro sacrificio refragabuntur nostra, quod est labrum illius summi sacrificij crucis. Agitur ergo hic dē illius summi sacerdotis virtutibus, qui toti mundo promeruit remissionē peccatorum: interea tamen fatendum est omnes vicarios eniti debere ad tantam sanctimoniam; ut ea saltem referant, quæ maiores nostri dicunt valdē esse humilia, pietatem, innocentiam, &c.

Neque ei est necessitas, &c. Non est necesse, ut Christus quotidie cū pro se, tū pro suo populo victimas offerat; quemadmodum fuit veteribus sacerdotibus, qui, ut in dies peccabant, ita nunquā nō debebant esse solliciti.

Hoc enim fecit vno tēpore in sese oblato.

In ani-

In anima sua, inquit Syri. Loquitur de oblatione crucis. Veteris legis sacerdotes brutas animantes, & quidem frequenter offerebant: Christus semel, seq. ipsum obtulit. Quid hinc colligimus? Christi sacrificium tam fuisse efficax; ut illo placaretur Deus, pararetur iustitia, gloria aeterna, & hereditas. Ergo ne baptismo, pœnitentia, satisfactione non est opus? Nuga. Christus perfecit hæc omnia unico sacrificio crucis: sed quia homines sumus; ut melius esset nobis consultum, præstituit instrumenta, quibus id, quod est sufficientissimum paulatim nobis instillaretur. Si angeli essemus; suffecisset crucis sacrificium: sed quia infirmi, quia sensibus regimur, et ducimur; dedit sensibilia nobis sacramenta, quibus infirmitati nostræ suppetias ferret. Igitur unica hostia ille omnia promeruit, ac perfecit; si meritum spectes, & pretium: non autem quantum ad participationem, & efficacitatem. Nec habent aduersarij, quod obganniant: ni sua prius velint extrudere qualiacumq; sacramenta.

Nam lex filios hominum infirmos, &c. Erant enim peccatores: non tantum quia olim peccarant, sed quia tali infirmitate pressi, ut fateri debeant nullum sibi diem sine peccati abire vestigio. Tam lubricos creat sacerdotes vetus testamentum.

Sermo autem iurifurandi, &c. Periphrasis legis nouæ. Diuinum Davidis oraculum, quo portenditur noui testamenti conditio; quo Deus iurasse perhibetur futurum stabile Christi sacerdotium, neque quemlibet è vulgo, vel tribu Leni, sed ipsum Dei filium sacerdotem futurum.

Perfectum in æternum. De hac perfectione supra dictum est. Neque enim agitur de solitaria, qua quispiam

Epistola

quispiam in sese perfectus redditur: sed de sacramentali, aut etiam sacrificali. Talem habemus sacerdotem, qui & ipse perfectus sit, & alios sibi similes reddere satagit. Est ergo maxima novi testamenti prerogativa. Nunc audire mihi videor nostros antagonistas, his ipsis rationibus catholici sacerdotum ruinam molientes, quibus vident Paulum Aaronicum evertere. Nec enim peccatores esse nos inficiari possumus, necesseque habere Deum nobis reddere propitium, & quotidie sacra eadem repetere. Verum istis gannientibus vulpibus ante plus minus annos mille a maioribus nostris responsum est. Nos cum Christo nequam committimur, quemadmodum Aaron commissus est, sed unus, idemque sumus cum eo sacerdos, is in nobis offert, & sacrificat, & ipsum quidem offerimus, qui in ara crucis oblatus est, sed non eadem specie: itaque non debet sacerdotium a sacrificio disjungi; quia Christus est, qui offert, & qui offertur, dum sacerdos defungitur. Vis audire, cur postquam legis sacrarium finem accepit, & sacerdos, qui est secundum ordinem Melchisedec semel obtulit, & efficit reliqua sacrificia non essent necessaria, novi testamenti sacerdotes mysticam liturgiam celebrent? Audi, quid hac de re doctissimus in scriptis ad istud caput reliquerit: Clarum est, qui sunt in rebus divinis eruditi, nos non aliud sacrificium offerre sed unius illius memoriam peragere, ut per figurarum contemplationem earum, quae pro nobis susceptae sunt, passionum recordemur. Deinde ut in benefactorem benevolentiam conferuamus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus. Hac ille. Hoc igitur volu-

Theodor.

lumen, ex fonte crucis, in quo omnia sunt abunde parata, rinulum elicere, qui ex veteri lege non potuit. Neque enim Eleazarus vim habebat ab Aarone, nec Phinees ab Eleazaro. Postremo semper erant noua sacrificia; & licet potuerit eiusdem forma animal denud off rri, sed non idem ipsum: hic autem vnus, idemq; numero Christus in bis mille locis. Jam quod de repetitione obijcitur, ex parte dilutum est: cum eundem offeramus semper, neque id quidem (vt diximus) facturi sepius, nisi grata mētis, & infirmitatis, atque red untium singulis diebus peccatorum idratio postularet. Tam enim est efficax sacrificiū, vt si per nostram frigus non staret, vniuersum mūdum vnica missa permundare possemus. Quod si Paulos, Arcopagitas, & huiusmodi adhibeas, qui partim cooperentur, partim operentur sacris: liquidō videbis, quid posset missa, si non deforent, qui ex immenso hausturi pelago, latissimum pectus deuotionis adferrent. Hæc igitur adeo non obsunt nostra causse, vt magis Dei in nos pradicent beneuolentiam, quæ nostræ imbecillitatis non ignara, voluit sepius in nos vim crucis derivari. His ad istum modum delibatis, libet confertim dissimilitudines vtriusque sacerdotij, quæ Dei misericordiam, summaq; in nouo testamento præstita mortalibus beneficia commendant, expēdere. Nos itaque habemus Dei filium, & quidem perfectum in eternū. Nam quod de innocentia, & ceteris virtutibus dictum est, nimis quàm est exile, tãmersi non praterendum, nec in Mosaicis sacerdotibus inueniebatur. Lex enim etsi habuerit viros quosdam non malos, infirmi tamen, & ad peccatum proni erant, ac in multis offendebant. Ibi boues, oues,

lagana,

Vide inter
pretes ve-
teres cū ad
hæc, tū ad
9. & 10. ca.

piā esset, quod offer-
ret. Et siquidē in ter-
ra foret; nē sacerdos
quidē esset: eò quòd
sacerdotes forēt, qui
facerent oblationes
secundum quod in le-
ge; quippè qui ser-
uiant similitudini, &
vibræ eorum, quæ
sunt in cœlo; quem-
admodū dictum est
Mosi facienti taber-
naculū: Vide, & fac
vniuersa ad similitu-
dinē, quæ visa est tibi
in monte. Nunc autē
tantò melius suscepit
ministerium Iesus
Christus, quātò me-
lius testamētum, cu-
ius factus est ipse me-
diator; & promissio-
nibus melioribus fa-
ctū est eo, quod antē
fuerat datum.

*bere aliquid, quod of-
ferat. Si ergo esset
super terram, nec
esset sacerdos: cum
essent, qui offerrent
secundum legē mu-
nera, qui exemplari,
& vibræ deser-
uiūt cœlestium. Si-
cut responsum est
Mosi, cum consum-
maret tabernaculū,
Vide (inquit) om-
nia facito secundum
exemplar, quod tibi
ostensum est in mō-
te. Nunc autem
melius sortitus est
ministerium, quan-
tò & melioris te-
stamenti mediator
est, quod in melio-
ribus repromissioni-
bus sancitum est.*

HÆC pericope (libet enim huius rei in principio commonere) habet non tantum peculiarē sed & necessarium vsum, hac potissimum tempestat. Nam quicquid excogitarunt aduersarij contra honorem, & laudem vnicuique sacrificij catholici, id se putarūt cum ex hac tota epistola, tum præcipuē ex hoc loco hausisse. Itaque his probē intellectis, quæ iā sunt nobis exponenda; facile subtractiones hereticorum, & molitiones euertemus.

Caput autem omnium horum est. Hæc (inquit Paulus) egi cum alibi, tum capite septimo, Christianis non deesse suum summū pontificem. Sed qualem?

Sedentem à dextera throni maiestatis in cælo. Non hominem, sed Deum æqualem Deo patri, simul & regem hunc esse denotatur. Nā hæc duo sæpe commiscuntur; & alioqui thronus est regia sedes. Pontificum est stare, dum rei diuine operantur, & maxime dum adest momentum consecrationis: noster pontifex sedet, ut Deus, iam res sacra defunctus. Alludit autem ad Psalm. 109. Sede à dextris meis. Sedet (inquam) in cælo, in sancto sanctorum non manufacto.

Et ministerium domus sanctæ. Dirimit Syrus grauem Latinorum, & Græcorum interpretum pugnam, ob illud *τὸν ἐγγύον τοῦ οὐρανοῦ*, alijs aliud subaudientibus. Chrysostomus de hominibus, qui sunt Dei thronus, intelligit pro consequentibus verbis, alijs de loco interpretantur, vti dicitur ingressus in sanctū sanctorum, id est, sacratissimam partem templi. Ipse Paulus domus sanctæ ministrum, & quidem publicum vocat. Hoc enim syra dictio meschamschono, *משכמשכן*

Epistola

ἡ χάρις τοῦ θυτοῦς sacrificium publicum. Nā τοῦ θυτοῦς sacrificium publicū dicitur: ut sit noster pontifex sacrificus in ipso cælo, quod capite nono manifestius docebit.

Et tabernaculi veri, quod fixit Deus, & nō filius hominis. Sudant interpretes in distinguendo sanctuario, & tabernaculo: Paulus tamen, quid sit tabernaculum, in sequentibus declarabit, nempe, ipsum sacerrimum corpus. Sed operapretium est meminisse totius faciei tabernaculi Moisaici. Porta erat ad orientem, quæ in Actis dicitur speciosa, per quam ingrediebantur Iudæi, & ubi consistebant, pro quibus fiebat sacrificium. Secundus locus erat sacrificialis, in quo mactabatur hostia. Ibi altaria duo, ac portæ totidem, aquilonaris, & septentrionalis. Ex hoc ingressus erat in sanctum sanctorum, in quod reliquis per velum exclusis, soli pontifici patebat aditus. Hoc velum fuit eius tabernaculi, de quo hic describitur, typus. Illud igitur typicum tabernaculum, ac fictum erat, verum non erat: sed quod Deus expādit suo sancto sanctorum, veritatē habet; ut habeat noster pontifex pro sacrario cælum, pro velo sanctissimæ carnem. Nec est segniter expendendum, quod hic Apostolus dissimulanter innuit, ad catholicum sacrificium erudite defendendū. Dicit enim Christum etiam nunc sedentē in dextera patris esse τοῦ θυτοῦς, & quidem non tantum sancti sanctorum, id est, cæli; verum & sui tabernaculi. Quomodo autem id fieri ullo pacto potest; si nulla est oblatio? si nulla quotidiana immolatio? maximè cum simus mox audituri, omnem pontificem habere debere, quod immolet. Chrysostomus ita premit verbum ἐπιθε; ut cælum

(nam)

(nam illud tabernaculum intelligit) adserat immobile contra philosophorum demonstrationes: cum aliud nihil sibi velit seu illud Græcum, seu Latinum fixit, quam fecit.

Omnis enim princeps sacerdotum constituitur, &c. Quicunque vult censi titulo sacerdotis, debet offerre, & sacrificare: quia sine hac functione nemo eam appellationem promeretur. Oblationes dicuntur, quæ non constant immolatione, & iugulatione: quæ autem habent ista, censentur sacrificij nomine.

Quapropter æquum erat, &c. Christus cum sit princeps sacerdotum; & quidem non unus est multis, sed secundum ordinem Melchisedec: necesse est, ut ei suppetat, quod offerat pro suo populo. Hoc ratio postulat, sacerdos, & pontifex ne sit otiosus. Sed quæ est res offerenda, quòd eius sacrificium, dum ingressus est in sanctum sanctorum? Vetus sacerdos cum alieno ingrediebatur sanguine: Christus cum suo. Paulus autem id silentio premit, ac dissimulat: sed nobis est diligenter observandum. Nisi enim quotidie Christus locis innumeris offerat, & simul cū patre suscipiat, qui sacerdos dici poterit?

Et si quidem in terra foret: nè sacerdos quidem esset. Mirabile. Quod Græci adserunt non fore sacerdotem, propter pericula seditionum, nõ sufficit. Est quidem verum, si quis Mosis turbaret rempublicam, & sibi, quod penes alios fuit, sacerdotium vendicaret: summam adferret rebus omnibusurbationem. Erant igitur mox Christo reclamaturi Iudæi, ut fecerunt, cum nihil huiusmodi tentaret: In qua potestate facis hæc? Quòd si ab aris eos abegisset, ve

abegit à mensis, & nundinis: mouissent proculdubio
 seditionem. Veruntamen opus est alia sublimiori in-
 telligentia. Nam Christus etiam adhuc in terris a-
 gens, fuit re vera sacerdos secundum ordinem Mel-
 chisedec, immò tùm factus est, cùm est ingressus, id
 est, cùm corpus assumpsit. Incarnatus autem, nobis-
 cum hic degit, populum docuit, & quæ in mandatis
 habuit, mundo tradidit. Quomodo ergo dicit Pau-
 lus, siquidem in terra esset, non fore sacerdotem? An
 Paulus negat, quod Dauid adserit? Est opus intel-
 ligere, quid hic terra nomine significetur. Quid enim
 si in ultimis orbis partibus fuisset, nihilq; sibi comu-
 ne esse voluisset cum Aaronicis sacerdotibus: nun-
 quid ideò non fuisset sacerdos? Non agitur itaque de
 terra Iudæa, aut qualibet, sed vniuersum de terra, vt
 opponitur cælo. Immò veriùs Mosaicam hierar-
 chiam Apostolus terram appellauit, ac templum
 Mosaicũ, in quo Deus suo tempore colebatur, vt sit
 hæc sententia: Si versari vellet in templo Solomonis,
 loco à Deo quondam electo ad cultum suum, & con-
 sueta sacerdotibus obire munera: tùm sacerdos non fo-
 ret secundum ordinem Aaronicum; vt potè qui riti-
 bus illi sacerdotio proprijs, quemadmodum filij Aa-
 ron, haud erat initiatus. Si igitur esset censendus se-
 cundum legis præscripta; non foret sacerdos: vt ne-
 que nunc, quantumcunque sanctus, quisquam sacer-
 dos habetur, qui ab Episcopo nõ fuerit legitimis cere-
 monijs consecratus. Sed quæ est ratio?

Ed quòd sacerdotes forent, qui facerēt ob-
 lationes, &c. Quia in templo Iudaico erant sacer-
 dotes secundum legem initiati, qui offerebant legiti-
 mas oblationes, & sacrificia. Christus autem non alio
 loco

loco habebatur, quàm quivis laicus; ut pro sacerdote se gerere non posset: quòd si ratione Melchisedeciani sacerdotij hoc ipsum tentasset, absurdus haberetur cum istud ex diametro repugnaret Aaronico. Nulla igitur modo sacerdos haberi potuit, si sacra sua in terra, id est, in synagoga, administrare voluisset.

Quippe qui serviunt similitudini, &c. Tota ratio sacerdotij Mosaici est typica, neque rem ipsam habet; sed rei cuiusdam adumbranda servit. Mirè autem istud dictum est. Habebāt enim Iudei sacrificia, ritusq; suos in maximo pretio nec certè suo tempore contemni poterant. Verbum serviendi pro imaginum defensione notandum. Est enim ἡ ἰσχυρία, quòd summum Dei cultum significat; nè iconoclastæ audire se credant piaculum, cum venerationem sacrarum nominamus imaginu: cum Apostolus dicat Iudeos imaginum similitudini, & rebus sub aspectu cadentibus latrariam impendisse.

Et umbræ eorum, quæ sunt in cœlo, &c. 7-
nitio statim declarat magnā esse differentiam inter res Mosaicar, & christianas: cum habeat christiani imaginem, Mosaici umbram. Vt autem umbram videas, nō statim agnoscis hominem: imago verò certò representat. Tamen si nè christiana quidē sacra careant suo mysterio, ut potè in Mosaicorum, & cœlestiū meditullio. Habemus enim Christiani rei veritatem, iustitiam, Dei³ leges in cordibus descriptas: nondum tamen facie ad faciem cernimus. Interea propter carnis infirmitatem, gratia, & veritas quibusdam involucris in sacramentis obducta, nobis exhibentur: ut & prægustatā veritatem, & nihilominus quandam habeamus significationem: multum
V 4 veritatis

peritatis, & gratia; longè tamen minùs, quàm olim
in illo foelicissimo concubitu cœlesti, ubi nullus amplius
erit figura locus. Sit igitur, quòd ad hunc locum, sa-
tis; Mosaios sacerdotes seruuisse obscuris signis, &
à paucissimis intellectis; neque ferè altiùs penetrasse;
sed ad illum, ut plurimum, hâsisse caliginem. Eo-
rum, quæ sunt in cœlo, inquit. Nonnulli de rebus
christianis dictum volunt. nec falsa est proculdubio
sententia; quâuis alia sit mens Apostoli. Neque ca-
ret ille commentarius utilitate maxima, res nempe
Mosaios rerum nostrarum figurâ gessisse; ut lotio
Mosaiorum Christi lotionem significarit, idemque
fecerit baptismus illorum, & circumcisio; sacrificium,
& sacerdotium apud eos portenderit christianum
sacerdotium, & unicum, ac summâ catholicum sa-
crificium. Hinc enim, cum ad pugnam vocamur ab
hereticis, non fuerit indoctum petere presidia. Hac
tamen etsi vere, & utiliter dicantur, non arbitror A-
postolum voluisse, sed re vera de rebus cœlestibus esse
locutum, propter id, quod sequitur.

Quemadmodum dictum est Mosi, &c. Ea
enim, quæ in cœlo sunt, Moses intuebatur, iussu scilicet
est illud sanctuarium, et domum sanctam, in qua mi-
nisteriû agit seruator Christus, exprimere. Sic enim
ad illum Exodi locum plurimi, quos mihi certum est
imitari. Dum igitur portatile tabernaculû exstrue-
ret Moses, conatus mente comprehensam, & infixâ
à Deo speciem illius cœlestis sancti sanctorum deli-
neare: postea quoque Solomon, pro tabernaculo repo-
nens ad eam augustissimam, quantum potuit, huma-
no expressit ingenio, quod Mosi fuerat demonstra-
tum. Sed quis horum vsus, hereticis oblatrantibus
vndique,

undique, & hac in contrarium dogma rapientibus? Illud in primis cōstitutum habeant orthodoxie studiosi, Apostolum hic habere coniectos oculos in psalmum 109. semperq; intelligere Christum sacerdotem ritu Melchisedeciano creatum. Et cū ibi dictū sit Christo à Deo patre, Sede à dextris meis: liquet nō debuisse Christum in synagoga versari, sed in illo sancto sanctorum, quod omnium captum superat. Nā lex in loco fixo, ac certo sacrum facere precipiebat: Christus autem ad dexteram patris confidens, ea lege haudquaquam teneri potuit. Nē repetam, quod perstrictum est, illum esse λειουγδὼν longē alterius dioeceseos, & cōditionis, nempe, cœlestis; ibiq; obire suam oblationem in ara sua, habereq; tabernaculum sanctissimum corpus suum, quod & ipsum est summum sacrificium oblatum cum in cœna, tūm in cruce. Cū autem veri sacerdotis rationem non amiserit: offert sese quotidie per suos ministros; & oblatum cum Patre, & Spiritu sancto suscipit. Hac si quis cordatus demittat in animū: indicabit (credo) non temerē alio in loco tantum inueniri presidij, ad nostri sacrificij non ignauā defensionem. Eodem tamen pertinet, quod sequitur.

Nunc autem tantō melius suscepit ministerium Iesus, &c. Quod sit hoc ministerium, patet ex antē dictis. Christus obit longē diuersum munus pontificale ab eo, quod in fumo umbra Mosaice quondam à Iudaicis ministris peragebatur. Quātō habemus meliores, & maiores promissiones: tantō est ministerium pręstantius; in quo non ampliūs ficus, vinum, oleum, & similia, sed cœlestē regnum promittitur. Nunc elegans utriusque testamenti com-

paratio subiungitur, latumq; discrimen.

Syr.

Vulg.

Si primum namque fuisse tale, ut in eo nihil fuisse reprehensibile: non fuisse locus huic secundo. Reprehedit enim eos & dicit: Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & consummabo super domum domus Israël, & super domum domus Iuda testamentum novum; non sicut id testamentum, quod dedi patribus ipsorum die, quo apprehendi manum eorum, & eduxi eos de terra Aegypti: eo quod ipsi non permanserint in testamento meo; ego quoque spreui eos, dicit Dominus.

Nā si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur. Vituperās enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus; & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum novum, non sicut id testamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educaerem illos de terra Aegypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo; & ego neglexi eos, dicit Dominus.

Si primum namque, &c. Si vetus testamentum, quod Deus pepigit cum Moise intercessore populi

puli Iudaici, nihil habuisset.

Reprehenfibile. Non quod peccata contineret; sed ob suā infirmitatem, & imperfectionem, & umbras huius mundi (ut alibi vocantur) elementa. Si igitur nihil in eo desideratum fuisset, si iustum, & beatum reddere quempiam valuisset: non fuisset opus secundo.

Reprehendit enim eos, & dicit, Locus hic & à D. Stephano, & à maioribus nostris diligenter obseruatus. Quid Paule, videbaris de nouo testamento sermonem instituisse: & iterum relaberis ad eorum nomina, quorum legem adseris cū ipsis reprehensam. Sed hinc oritur geminum operapretium. Erit enim oratio minùs inuisa; & maior ex prophetae auctoritate, cui Iudæi contradicere non audebunt, nascetur fiducia. Is ergo propheta dicit vetus antiquatū testamentum. Qui sic? Quia discipulorum vitia solent pedagogis adscribi. Legem autem Iudæorum pedagogum fuisse, quis nescit? Vterq; igitur reprehensibilis. Nulline igitur seruati Iudæi? Multi sanè: sed quicunque seruati sunt, ad nouam legem pertinebāt.

Ecce dies veniunt. Est phrasis scripturæ; quæ quando aliquid orditur magnificum, utitur demonstrandi particula.

Et consummabo. Scripsit D. Augustinus libellum cunctorum iudicio doctissimum, de spiritu, & litera, ubi hanc versat quæstionem de vtriusque testamenti discrimine, & verbum istud ad hunc explicat modum. Faciā, ut queant perficere presente gratia, quicquid imperatum est. In qua explicatione (si quod res est, modeste dicere liceat) nō videtur ad vnum seruata germanitas. Nam tametsi Lucas ha-

beat

ואגמור

וכר

דאתר

beat συνελθσω, & Syrus Paulus uerimur, quæ perfectionem sonant: Jeremias tamen usus est verbo uocarathi, quod pāgere, & ferire fœdus significat; & septuaginta utroque loco habent διαβισομαι, quod & Lucas in sequētib; retinuit; vbi Syrus mutato uerbo rē prorsus eādē ostendens, dixit detthel. Quācirca uidetur hic esse sensus: Ego nouum fœdus cum domo utrāque Iuda, & Israël feriā, hoc est, cum omnibus Christo credituris.

Die, quo apprehendi manum eorum, & eduxi eos, &c. Est metaphora sumpta à fatigatis, et impeditis ad iter; ut Iudeorum infirmitatem, & liberationis eorum difficultatem intelligamus. Nunquam effugissent miseram seruitutem; nisi Deus ueluti porrecta manu, eos extraxisset. Sed & illud indicatur, fuisse non tantum indignos, sed etiam inuitos, & abhorrentes à libertate: cuius rei fidem præbet historia; exemplum autem exhibuit Loth, cuius tergiversantis, & cunctantis manum angeli corripientes, liberationi consuluerunt. Illis ergo quasi reclamantibus, & indignissimis tantum contuli beneficium. Quæ est causa, cur illud ratum Deus testamentum esse non patiatur?

Eò quod ipsi non permanserint in testamento meo, Iudei debebant obedientiam præstare Deo: is prosequi eos beneficijs. Has ueluti partes dederat, & assumpserat Deus. Et ille quidē, quod suū erat, præstitit: ipsi uerò nequaquam. Simul quoque innuit testamenti imbecillitatem, quod non poterat nauseabundos Iudeos, infirmosq; per sanare.

Ego quoque spreui eos. Quidam ex hoc loco, eornicum scilicet oculos configentes, colligunt epistolā
mini

minimè gentium hebraicè conscripta: quia apud prophetam est verbum baalthi, quod maritum esse, & tanquam maritum dominari significat. Egregiè nimium decepti, dum elegantiori lingua Hebræorum nos hanc exaratā velle credunt: tàmetsi ne tūm quidem id, quod sperant, auferrent; cū Ioseph Kimbuis adserat illud verbum interdum esse idem, quod abominari, cōtēnere, &c. Habet tamē Syrus Paulus besith quod aliō torqueri nō potest. Reieci eos igitur, ait Dominus; nonumq; mihi populū deinceps cōdere decreui. Qua sententia repellitur & vetus populus, & vetus testamentum: ille quia non perstitit in pacto, lex autem, quia non effecit populum suum morigerum. Nunc itaque audiamus novitestiamenti, ac populi descriptionem.

בעלת

בסית

Syr.

Vulg.

Hoc autem est testamentum, quod dabo domui domus Israël post dies hos, dicit Dominus. Dabo legē meā in mentibus eorū, & in cordibus eorum scribā eam; & ero ipsis ego Deus, & ipsi erūt mihi populus; & nō docebit quisquam ciuē suum

Quia hoc est testamentū, quod disponā domui Israël post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentē eorum, & in corde eorum superscribā eas; & ero eis in deū, & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit vnusquisq; proxi-

suum, neque fratrem suum, & dicet, Scito Dominum) eò quòd omnes scient me, à paruo eorum, vsque ad senem eorum; & parcā iniquitati eorum, & peccatorum eorum non recordabor rursus. In eo, quod dicit nouum, antiquauit prius: & id, quod antiquum est, & veterascit, vicinum est interitui.

proximum suū, & unusquisque fratrem suum, dicēs, Cognosce Dominum) quoniam omnes scient me, à minore vsque ad maiorem eorum; quia propitius cōtinuitatibus eorum; & peccatorum eorum iā non memorabor. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.

Tribus hac noui testamenti delineatio capitibus cōstat. Primum enim docetur, quid possit charitas, et quæ sit vis gratiæ, quæ cœlitus præsto est christianis: deinde verò tractat de gratuita condonatione peccatorum, ostendens, quā clementer Deus paciscatur cum peccatoribus, cum ex impijs iustos reddit: postremo de mirabili luce, & scientia differit, quæ persunduntur veri Christiani. Videamus singula.

Hoc autem est testamentū, quod, &c. *Quidam hos dies ad liberationem olim factam ex Agypto refe-*

ro refe-

to referunt: sed Jeremias de sua videtur aetate locutus.
Nam hoc eodem capite liquet Iudaeos, cateroquin sce-
leratissimos, pro optimis haberi se voluisse; & cum à
Deo flagellarentur ob flagitia, dixisse non se criminū
suorum, sed auitas luere poenas. Eapropter confestim
Jeremias in persona Dei, Vos equidem, ait, ingratif-
simi commueristis, ut ex virtutibus vestris vos a-
dornem: post hos autem dies, neque multò post, nulla
iam habita ratione veteris testamenti, condem-
num. Propter gratia conducta certitudinem, dixit
post dies istos: & intelligit de aduentu Christi.

Dabo legem meam. *Emphaticum est. Notatur enim aliquid singulare, velut ibi, Secretum meum mihi. Dabo eis peculiarem meam legem, hoc est, scriptum meum effundam in corda ipsorum. Faciam, ut mentes sectatorum meorum, & heredum novi testamenti, non versentur ultra in umbris, & caligine; sed instar spiritualium codicum totas meis legibus exarabo. Sensus compendio reddi potest, Christianos curatum iri mente, & intelligentia; ut probe intelligant Dei voluntatem, eiusq; semper meminerint. Nam Jeremias habet vocem, quam Hebraei de memoria exponunt. igitur quantum in homine desiderari potest, quod in eo supremum est (mentem intellige) miro lumine complebitur. Unde conijcere licet, quam benè respondeat nomini suo, qui sunt planè cæci.*

Ercordibus eorum scribam eas. *Efficiā per spiritum meum, ut non tantum rectē intelligant; sed ut etiam libeat servare mandata. Quid enim alioqui prodest cognitio non operanti?*

Eterio ipse ego Deus. *Hac indicant quoddam*
pecu-

Hieron. ver
tit In visce
ribus : sed
Paulus Sy-
rus habet eā
vocē, quæ
est, vbi iu-
bemur dili-
gere Deum
tota mēte.
daiono

דעיינא
Matth. ca.
22, d.

bekirbarm

ג קר בם

peculium; uti non ignorabat, qui dicebat Samueli:
Ora pro me Deum tuum. Et si enim sit omnium
Deus; peculiariter tamē uiuentium per charitatem;
Ego praebebo me ipsis Deum patrem, & clementissi-
mum dominum; faciam eos mea gratia participes; &
ad postremum in eandem felicitatem assumam.

Et ipsi erunt mihi populus, Habet istud em-
phasim non obscurā. Ipsi hactenus idololatrae, & vi-
tys omnibus obruti, euadent in populum mihi charis-
simum, verumq; Dei cultorem: & cum veteris testa-
menti cultores non perstiterint pactis; isti constanter
in lege mea perdurabūt. Hactenus dē Dei misericor-
dia. Si roges, quēnam futura sit huius populi disci-
plina; audi.

Ciue. Ita
70. & Re-
giorum ex-
emplariū 1
§. 10. 11. &
Ita Augu.
c. 19. de spi-
ritu, & lite-
ra, & Syrus
Ephes. 4.

Aug. cā. 19
de spiritu,
& litera.
Theodore.
Primasius.

Et non docebit quisquam ciuem suum. A-
pud Iudeos cuique mandatum erat de proximo suo.
Vide, quid agas: sabbatum est, &c. Quid in noua
lege? Num hoc abiit praeceptum? Huc assilit Anaba-
ptista, vel quispiam alius haereticus, omnemq; docē-
di laborem clamat superuacaneum, et demonicos in-
stinctus expectandos. Quod si verum sit: quare dice-
ret Paulus institutos à Deo pastores, atque doctores
ad consummationem sanctorum; totiesq; meminisset
necessaria doctrina? Non hoc, igitur, ista sibi volunt,
quod somniant Anabaptista: sed ut Veteres docue-
runt, est intelligenda in istis verbis aeterna vita, cuius
nunc gustum per nouam legem accipimus. Nonnulli
tamen patres istud quoque additum volunt; quia id,
quod summum est in docendo, non aliunde, quam à
solo Deo proficitur. Finge quēuis doctū, aut in-
doctum concionatorem; adhibe sanos, & insanos, ca-
tholicos, & haereticos auditores: & videbis eos, qui le-
gem

*Gem cordibus inscriptam non habent, irridere, alios assentiri per mirificam spiritus operationem, qua sæpenu-
mero malignus veteris testamēti, vel erroris cu-
ispiam sectator, enadit in noui testamēti, & ortho-
doxa fidei discipulum.*

Scito Dominum. Syrum dedda scire significat. 331
*Ionathas chaldeus addit Timere. Nō docebit quis-
quam aut cinem, aut eiusdem gētis, cognationis, fa-
milia virum timorē Dei. Hinc perspicuum est vtri-
que legi communem timorem Dei, atque doctrinam,
si nihil accedat præterea. Nam in veteri præsens
erat calcar supplicij metus: in noua autem stylus ve-
lociter scribentis immutat cor, & intelligentiam.*

Eò quòd omnes scient me, &c. Non quòd
omnes paruuli nostri sciant: sed habeant infusum id,
quo valeāt suò tempore facere officium, fidem nem-
pè, & charitatem; vt simul atque accefferit opera, &
nuntius legis, aduertant animum. Nec enim aliunde
videmus in pueris christianam indolem, & præcox
rerum nostrarum desiderium; vt gēstiant ad oratio-
nem dominicam, & imitanda, quæ imbiberint, bona.
Absit igitur, vt Christianus suo putet studio, & la-
bore se efficere, vt quis ad fidem conuertatur, cū di-
uine id sit opus energie; nec minùs orationibus, quàm
eruditione contendat.

Et parcā iniquitati eorum. Hoc est alterū
caput de gratuita remissione peccatorum. Istud an-
tem propriè de baptismo dicitur. Nā dictio Ieremie
laonam ad pœnas peccatis cōmeritas pertinet, quæ
vna cum ipsis criminibus baptismo delentur. Ego pro
omnibus admissis ante huius legis inscriptionem, ni-
hil reposcā pœnarum.

X

Et pec-

Et peccatorum eorum nō recordabor rur-
sus. Istud etiā, ut Patres interpretati sunt, ad ba-
ptismum pertinet: oportet tamen toti vitæ commu-
nē credere. Non enim solum habemus baptismum flu-
minis, quo semel omnium sit culpārum, & poenarum
liberalis condonatio: sed etiam lacrymosum, expiā-
tem sordes nostras gratia, misericordia, & indulgen-
tia; cui tamen est cum illo priore affinitas maxima.
Nam etsi nonnunquā (quæ est nostra ignavia) ac-
cedamus ad absolutionis beneficiū imparati; ut vix
à culpis liberemur: quis tamen ignorat, quā multa
suppetant præsidia, quibus quasi nihil agendo peccata
redimere queamus? Si dives, largire pauperi; si do-
ctus, aliū instrue: si his destituaris; habes sacri-
ficiū quo admissorum, & poenarum debito te libera-
re. Postremò non videmus, quā liberaliter sanctorum
nobis opulentia suffragetur in indulgētijs? Ex his li-
quet, quā sit in noua lege misericors Deus: nisi planè
nos ipsi iniuri nolumus. Non recordatur Deus, cum
punire non vult.

In eo, quod dicit nouum, antiquauit prius.
Est metaphora sumpta à decrepitis, et silicernijs. Dū
meminit noui, quod se substituturū pollicetur, osten-
dit iam adesse veteri suū senium, ac fatiscere; quòd
suos cultores perfectos reddere non posset.

Et id, quod antiquum est, &c. Vocabulum
Pauli a se habet, quod secundo loco ponitur, quadruplicem
habet significationem: & nisi Luca me mouisset au-
thoritas, eram Pollutum interpretaturus. Igitur le-
remie temporibus lex declinabat in senium; & adeò
expiare non poterat, ut ipsa videretur potius (si ita
syram vocem spectemus, emundatione opus habere:
quòcir

quod circa veniente Christo merito sublata est.

CAPVT NONVM.



QUAE in octavo capite compendiosius perstricta sunt, nunc Apostolus veluti commentario dilucidiora facturus, ostendit diligentius Christum longè aliud tabernaculum, & sacrificium habere, & obiter, quò illa vetera spectarint; ne planè suo tempore quis inutilia fuisse putaret.

Syr.

Vulg.

In primo autem erant mandata ministerij, & domus sancta secularis. In habitaculo namque primo fabricato erat candelabrum, & mensa, & panis propositionis; & vocabatur domus sancta. Habitaculum autem interius, quod post secundum velum vocabatur sanctum sanctorum, in quo thuribulum aureum, & arca testamenti, quæ obdu-

Habuit quidè et prius iustificationes cultura, & sanctumulare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, & propositio panum; quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testa-

obdu-

x 2

sta-